48899/B
49890/B

STOERCK

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30536595_0001

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ, CÆS. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII AULICI,
ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO PAZMARIANO PHYSICI

LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR;

CICUTAM

NON SOLUM USU INTERNO TUTISSIME EXHIBERI, SED ET ESSE
SIMUL REMEDIUM VALDE UTILE IN MULTIS MORBIS,
QUI HUCUSQUE CURATU IMPOSSIBILES
DICEBANTUR.

EDITIO ALTERA.

VINDOBONÆ:
TYPIS, JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAREÆ REGIÆ
MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.
MDCCLXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SACRÆ CÆSAREÆ, REGIÆ,

APOSTOLICÆ

M A J E S T A T I,

MARIÆ THERESIÆ,

AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM

IMPERATRICI,

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,

CROATIÆ, SLAVONIÆ, &c. &c.

R E G I N Æ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c. &c.

D O M I N Æ

SUÆ CLEMENTISSIMÆ

ANTONIUS STÖRCK.

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX!
DOMINA CLEMENTISSIMA!

QUamvis omnes ſcientiæ & artes, TUO *favore & infinita* TUA *clementia reſtauratæ, mira cum induſtria atque ineffabili contentione hac in antiquiſſima Univerſitate Viennenſi ornentur & excolantur, nemo tamen eſt, qui dubitat, ſcientiam medicam ex his omnibus maxime eminere, vigere, florere.*

Nec mirum: etenim non modo ſummi in hac ſcientia Profeſſores indefeſſo ſuo diurno, nocturnoque labore ea omnia excogitant, tentant, & perficiunt, quæ ad diſcipulos in omnibus medicinæ principiis erudiendos, & in vera ac unica Hyppocratica *praxi firmos reddendos apta & neceſſaria arbitrantur; ſed & ipſi, ex his Scholis nati, practici, magiſtrorum exempla ſequentes, quocunque poſſibili ſtudio, & ſedula obſervatione ſalubri huic ſcientiæ amplificandæ inſudant.*

Ego propterea anno præterito, facta in meo noſocomio, obſervata congeſſi, & in publicum edidi.

Gaudebam tunc vehementer, dum vidi, hæc a Viris in arte graviſſimis comprobari, & laudibus, non meritis, efferri.

Unde

Unde eo magis incitatus, pro hoc quoque anno, jam multum allaboravi, collegi.

Ante omnia autem credidi communicanda eſſe experimenta nova, quæ circa uſum Cicutæ *inſtitui.*

Hæc igitur, fideliſſimo calamo adumbrata, in exiguum opuſculum redegi.

Quoniam autem prævideo, magnam inde in humanum genus utilitatem promanaturam, auſus fui, hunc novum laborem ad SACRATISSIMÆ TUÆ MAJESTATIS pedes humillime deponere, TIBI dedicare, conſecrare.

Etenim multiplici experientia convicti ſumus omnes, TE ea, quæ in re literaria bona & ſalubria fiunt, benigniſſime ſemper recipere, TE ea ſuſtinere, & immenſa TUA benevolentia propagare.

Et profecto! extra omne dubium eſt, fore: ut hoc opuſculum, GLORIOSISSIMO *TUO* NOMINI *præmunitum, alios quoque medicos ad ulteriora experimenta debitis cum cautelis capienda & proſequenda impellat.*

Quæ autem deinceps meum ingenium ad ſublevandas aut tollendas ægrorum calamitates conferre poterit, ea (ſi DEO placuerit) maximo ſemper fervore, & ſumma induſtria præſtare enitar.

PRE-

PREFATIO.

MULTI dantur morbi, quos nec antiqui medici, nec recentiores, in arte quamvis peritiſſimi, curare noverunt; idque vel ideo, quum nullum adhuc remedium detectum fuit, quod his morbis debellandis ſufficeret.

Ut igitur ad ſimile remedium eruendum omnes noſtros intendamus nervos, ſuadet ratio, officium jubet.

An fors in plantis, quarum virtutes nos ignoramus, aut quas pro ſuſpectis habemus, ſimile quid latet?

Ego ſane! uſu *cicutæ*, medicamentum tentaſſe, mihi videor, quod in ſolvendis inveteratis ſcirrhis, & in ſanandis cancris valde utile eſſe poterit.

Neque tamen hujus plantæ vim ſpecificam hic deprædico, neque cujuſdam inventi gloriam ambio; ſed deſidero unice, ut mei conatus in afflicti generis

generis humani utilitatem & emolumentum cedant, & applicentur.

Quapropter nollem, quis invidia, aut ambitione experimenta turbet.

Opuſculum in tria capita dividitur.

Primum continet plantæ, & remedii deſcriptionem.

Secundum recenſet caſus, in quibus hoc remedium fuit adhibitum.

Tertium adfert quædam corollaria.

CAPUT I.

DE CICUTA.

IN locis umbroſis & pinguibus, prope foſſas aggereſque agrorum, pratorumque ſepimenta creſcit planta umbellifera quæ menſe Jul. floret. *Folia* ejus longis, craſſis, cavis pegunculis appenſa, plurifariam *Myrrhidis* modo in alias plurimas tenues, atrovirentes diviſa ſunt. *Culmus* procerus, ferulaceus, glaber, lævis, craſſus, intus inanis, dilute virens, nonnullis attamen ſubrubentibus veluti ſerpentum maculis reſperſus, ſupra tres non raro cubitos aſſurgit. *Umbellæ* faſtigia occupant. Candidi in his ſunt *Floſculi*. *Semina* poſtea aniſi æmula, aliquanto candidiora. *Radix* dodrantalis, craſſitudinis digiti, quando caulem facit, cava eſt internis, prius autem ſolida. Odor eſt ingratus, fœtidus. Vide *Moriſon*, Tom. 3. p. 290.

Hanc herbam vocaverunt Botanici *Cicutam* vulgarem; & Germanico idiomate dicitur Schirling.

Plinius ſcribit caulem cicutæ viridem a multis impune comedi.

Rajus perhibet quemdam nomine *Boulle* cicutæ radicem ad ſcrupulum unum in febribus malignis, & quartanis dediſſe, & omnibus diaphoreticis prætuliſſe.

Renealmus in Obſervat. 3. & 4. ad Scirrhos hepatis, lienis, pancreatis ſolvendos ſcrupulum unum aut drach. ß. radicis cicutæ in ſubſtantia exhibuit; aut dedit infuſum cum drach. j. vel drach. ij. hujus radicis factum.

Multa emplaſtra & linimenta officinalia ſuccum cicutæ recipiunt.

Cæteroquin autem fere ab omnibus autoribus carbone nigro notatur, recenſetur inter venena, damnatur, atque ideo ex medicina penitus exulavit.

Copioſe ubique invenitur; nec tamen in hortis utilitatem aut locum habet, neque ad ſananda pecora, minus ad curandos homines nunc adhibebatur.

Hinc prodiit ſemper fruſtra, & ſine uſu iterum exaruit.

Novimus tamen omnes, nil a *Deo optimo* creatum eſſe, quod non foret bonum & utile;

Unde apud me ſtatui, hujus herbæ virtutes præ omnibus aliis experiri, atque ideo plurimos veteres ac recentiores ſcriptores hac ſuper re legi, & conſului.

Le-

Legendo autem inveni, hanc herbam uſu externo antiquis maxime temporibus ad tumores frigidos diſſipandos, ad ſcirrhos ſolvendos, cancrorumque dolores mitigandos magno cum effectu fuiſſe adhibitam.

Eam vero, interne datam, teterrimum venenum eſſe, omnes clamitarunt.

Prima itaque pericula externo uſu erant facienda.

Quapropter hanc herbam ſiccatam, & conſciſſam intra linteamina decuſſatis filis in matratium conſui, ſimili matratium in aqua ebulliente per aliquot minuta reliqui, dein, expreſſo ſuperfluo liquido, ad partes affectas calide applicui.

Hac ratione peſſimæ gangrænæ progreſſum aliquoties inhibui, & corruptum a ſano ſeparavi.

Qui talia matratia, aquæ incocta, ob ingratum fœtorem, aut natum inde pruritum ferre non poterant, iis lacti incocta adhibui.

Hæc dein facile tulerunt, nec quid mali experti ſunt, & omnes habuerunt levamen.

Viro ſexagenario, a multis annis doloribus podagricis divexato, non tantum ſimili fomento dolores mox ſedavi, ſed & tophos podagricos integre emollivi, & diſpuli.

Unde factum eſt, ut rediens podagra nec amplius adeo violenta, nec diuturna fuerit.

In annoſo rheumatiſmo, & dolore arthritico pilulis, poſtea deſcribendis, & fomento ex *Cicuta* ægris aliquoties magnum levamen attuli, quoſdam penitus liberavi.

Aliquos tamen, continuato licet uſu nequaquam juvi; nemini autem, quantum ego novi, nocui.

In ſtrumis ſcirrhoſis, in indurationibus glandularum, mammarum, & in peſſimis cancris non exiguos effectus vidi, & expertus ſum.

Ubi tamen tumores inflammatorii, aut ſeroſi calidi adſunt, ibi tale fomentum ex cicuta minus convenit.

Poterit tamen & in his caſibus habere locum, ſi debitæ antea evacuationes fiant.

Emplaſtra, quæ ſuccum *Cicutæ* recipiunt, magnam quoque utilitatem in medicina habent, & talia ſæpe ſolvunt & diſſipant, quæ omnibus aliis reſiſtunt.

Unde ſuſpicari cœpi, an non in ſucco cicutæ vis illa ſolvens, penetrans, & diſcutiens lateret?

Succum igitur ex *Cicuta* expreſſi, & in vaſe terreo lentiſſimo igne in extractum inſpiſſavi.

Hoc extractum ilico in homine tentare, nefas erat.

Qua de cauſa cani parvo, famelico, ter de die dedi ſcrupulum unum hujus extracti & fruſtum carnis.

Sedulo tunc attendi, quænam in cane mutationes fierent.

Verum canis manſit ſanus, alacer, & magno deſiderio offam exſpectavit.

Secundo die, data eadem extracti quantitate, idem expertus ſum.

Neque tertio die malum in cane ſymptoma adverti.

His audacior redditus, in me ipſo experimentum feci.

Mane ac veſperi ſumpſi granum unum hujus extracti, & vaſculum unum infuſi theæ hauſi deſuper.

Diætam

Diætam tunc paulo ſtrictiorem obſervavi, ut ilico adverterem, ſi quid inſoliti in meo corpore fieret.

Tali doſi per octiduum continuavi, nec minimam inde moleſtiam ſenſi; fui agilis, robuſtus, optimam habui memoriam, appetii, placide dormivi.

Altera ſeptimana auxi doſin, & jam mane & veſperi duo grana deglutivi, neque inde quid mali aut inſoliti in meo corpore ortum eſt.

Jam ergo optimo jure & ſalva conſcientia hoc in aliis mihi licuit tentare.

Quæ autem radici cicutæ vis ineſſet? quoque ſcire volui.

Radix recens dum in taleolas diſcinditur, fundit lac, quod guſtu amarum & acre eſt.

Hujus lactis unam alteramve guttulam linguæ apice delibavi.

Mox lingua facta eſt rigida, intumuit, valde doluit, & ego nec verbum loqui poteram.

Siniſtro hoc eventu terrefactus multum timui.

Ex lectione tamen autorum memini, quod acida ſimilium medicamentorum viribus reſiſtant, & virulentiam enervent.

Hinc ſucco citri linguam totam ablui, & apicem hoc ſucco perfricui; quo facto, ſtatim magnum levamen percepi, abierunt dolores, tenſiones, & balbutire potui.

Poſt horæ quadrantem idem repetii, & tunc cœperam paulo liberius loqui,

Iteratis dein vicibus applicato hoc ſucco tandem poſt binas horas lingua libera facta eſt, & evanuit omnis metus.

An

An non igitur in lacte radicis maximum virus latet?

Radix exſiccata, & in pulverem redacta, minus nociva eſt.

Etenim hujus pulveris granum unum aut duo aliquoties ſine noxa aſſumpſi.

Dum de his certus fui, pilulas ſequentes paravi:

℞ Herbæ recentis cicutæ q. ſ.

Exprimatur ſuccus, iſque recens lentiſſimo igne in vaſe terreo (ſæpius agitando, ne amburatur) coquatur ad ſpiſſi extracti conſiſtentiam, hoc extractum. ſ. q. pulveris foliorum cicutæ in maſſam pilularem ſubigatur; ex qua fiant pilulæ granorum duorum.

Si ex cicuta ſufficiente quantitate aquæ aliquamdiu cocta ſuccus exprimatur, tunc fit extractum minus efficax; attamen utile.

Pilulæ poſſunt argento vel auro obduci, vel diverſis pulveribus conſpergi, ut odor ingratus evitetur.

Vel idem extractum poterit in bolis, in miſtura, aut alia quacunque convenienti forma exhiberi, ne ægri diuturno uſu abhorreant, & defatigentur.

A minima doſi ſemper incœpi, & ſub initium mane & veſperi unicam ſolummodo pilulam exhibui, tertio quartove die dedi ter talem pilulam.

Poſt octiduum ter de die cœpi duas dare, & hac ratione ſenſim (ſi neceſſitas id poſtulavit) augendo aſcendi, uſque dum ad drachmam unam, vel drachmam unam cum ſemiſſe ſpatio unius diei deveni.

Nil

Nil unquam mali obſervavi, licet has pilulas per unum alterumve annum & ultra, continuato uſu, etiam ſanis exhibuerim.

Subinde curam ſtatim majori pilularum doſi inchoavi, & viſo bono temperamento, & bonis viribus in initio ilico bis terve per diem dedi pilulas duas, tres aut quatuor.

Nihilominus præſtat ſemper parva doſi incipere, ſunt enim idioſyncraſiæ, quibus medicamenta maxime innocua nocent; hinc ne his damnum inferamus, & ut ſenſim in naturæ ſimilium ægrorum cognitionem pertingamus, tuta via incedendum eſt.

Qualibet vice dum aſſumuntur pilulæ, datur unum alterumve vaſculum infuſi theæ, vel juſculi vitulini.

Si pulvis radicis *Cicutæ* ſufficienti quantitate mucilaginis Gummi trogacanthi in pilulas redigitur, exſurgit medicamentum valde efficax, verum majori tunc in utendo circumſpectione opus eſt.

CAPUT II.

CASUS I.

ADmodum formoſa puella a tribus annis geſſit parotidem ſiniſtram penitus ſcirrhoſam, colore purpuream, quandoque acute dolentem, quandoque ab omni dolore immunem; magnitudine autem pugnum virilem hic tumor ſuperavit.

A diverſis medicis & chirurgis diverſa interna externaque remedia ſunt exhibita; verum omnia effectu caruerunt.

Tandem ægra accerſit Dominum *Lebér*, chirurgum noſocomii civici; hic me in conſilium vocavit.

Caſu & formulis, præſcriptis, rite examinatis vidimus, remedia maxime ſolventia, diſcutientia, &c. interne æque ac externe fuiſſe adplicata.

Hoc igitur in genere nil amplius ſupereſſe concluſimus, quam ſpiritum frumenti cum mercurio ſublimato.

Unde, adpoſito externe emplaſtro de ladano, dedimus ſpiritum frumenti, &c. atque præterea ægra copioſe haurire debuit decoct. radicis gram. cich. tarax. &c.

Per tres ſeptimanas his diligentiſſime aſſumptis nullum omnino levamen, nullam prorſus mutationem deprehendimus.

Hinc ſtatuimus tentare pilulas e cicuta paratas.

Ab uno ſolummodo grano, mane & veſperi ſumendo, inchoavi, & ſingula vice unum alterumve vaſculum infuſi flor. ſamb. ſuperbibendum dedi.

Poſt octiduum rediit ægra plena ſolatio, & nobis læta narravit, oſtenditque, quod tumoris moles eſſet minor, mollior, mobilior.

Effectum mirati facile conceſſimus, ut ægra, ſuæ pulchritudinis recuperandæ avidiſſima, hoc remedium continuaret.

Elapſo altero octiduo nos denuo accerſit, malum autem fere in eodem ſtatu fuit.

Quapropter doſin auxi, & mane ac veſperi dedi binas pilulas.

Quo

Quo facto, intra triduum plus quam dimidia duritiei pars abiit.

Dein continuato, in eadem doſi, hoc remedio intra ſex ſeptimanas omnis durities evanuit.

Verum remanſit ſaccus flaccidus, paſtaceus.

Dedi igitur purgans, & ſaccum flaccidum linteaminibus fumo aromatico ex maſtiche, olibano, myrrha, &c. impraegnatis ſæpius perfricari juſſi; quod tantam habuit efficaciam, ut intra ſex circiter dies ſaccus totus abierit; unde puella ſuam priorem formoſitatem intregre recuperavit.

Hac ratione curatam ad *Illuſtriſſimum P æſidem* adduxi, & ipſa *Ei* hiſtoriam totam enarravit.

CASUS SECUNDUS.

FOEmina (30. aliquot ann.) jam a pluribus annis id incommodi habuit, quod mox ſub axillis, mox in inguinibus, mox in collo glandulæ intemuerint.

Adplicato emplaſtro, ſumtoque medicamento purgante hi tumores ſub initium ſemper diſparuerunt; ſucceſſu autem temporis pertinaciores facti ſunt, & quandoque ex uſu emplaſtri in ulcera abierunt, quæ, effuſo copioſo ichore, poſt aliquot ſeptimanas ſponte iterum conſolidata ſunt.

Vires ægræ ſenſim diminuebantur, intumuerunt pedes, & glandulæ ſubaxillares; tandem mamma dextra quoque increvit, & tota ſcirrhoſa facta eſt.

Appoſito tunc emplaſtro mox dolor acutus mammam invaſit, durities abiit in tubera, acceſſit color purpureus, dein lividus; demum cutis, duo-

bus in locis ſummo cum dolore rupta, efformavit bina ulcera cancroſa, fœtidiſſimo & acri ichore manantia.

Dolor quotidie circa veſperas multum eſt adauctus.

Varios medicos & chirurgos hæc ægra adiit, plurima aſſumſit remedia, nullum tamen unquam levamen percepit.

Demum die 14. Septembr. 1757. ad me venit, re bene examinata, hanc optimam pilulas experiundi occaſionem putavi, præbuique mane & veſperi pilulas binas, quarum quælibet granum unicum pondere habuit, atque his ſuperbibendum dedi infuſum foliorum veronicæ.

Vigeſimo ſecundo Septembr. vidi colorem lividum fere ubique in læte rubrum, hinc inde in naturalem eſſe mutatum; dolores fuere multo mitiores, & fœtidi ichoris loco materies tenuis puriformis comparuit.

Secundo Octobr. color totius fere mammæ naturalis fuit, moles & durities erant minores, dolores exigui, pus bonum.

Decimo quarto Octobr. mamma iterum cœpit tumere, rubere, tendi, & magnis doloribus torqueri, puris loco ichor effluxit.

Dolui ſiniſtrum experimenti ſucceſſum; non tamen ſpem abjeci: etenim accurate inquirendo deprehendi, tempus menſtrui fluxus inſtare, mali igitur cauſam ex eo poſſe repeti, judicavi; hinc ſuaſi ægræ, ut pilulas ſine interruptione continuaret.

Altero die proruperunt menſes, mamma detumuit, rediit color naturalis, imminuti ſunt dolores; unde ægra in aſſumendo alacriter perexit.

Vigeſimo quarto Octobr. inveni mammam multo minorem, molliorem, pus bonum; juſſi, ut jam mane & veſperi pilulas tres aſſumeret.

Tertio Novembr. magna puris boni copia ex ulceribus prodiit, mamma fuit minor, ægra frequentes in mamma ſenſit formicationes, tumores ſub axilla dextra quoque fundi cœperunt.

Decimo nono Novembr. narravit ægra: quod menſes debito tempore fluxerint, & quod tunc mamma iterum intemuerit, & dolores majores eſſent orti; his tamen non territa pilulas ſemper continuavit.

Dum mammam conſpexi, deprehendi partem ſupra papillam molitie & magnitudine fere naturalem, pars autem infra papillam lapidis inſtar dura adhuc fuit; dedi mane & veſperi pilulas quatuor.

Secundo Decembr. rediit ægra triſtis, & conquerens, quod ob acutiſſimos nocturnos in mamma dolores non poſſet dormire, quod appetitus eſſet penitus deletus, os amarum, glutinoſum, ructus fœtidi, frequentes.

Verum ægra horum ſymptomatum cauſam ſimul faſſa eſt; etenim dixit: ſe aliquot abhinc diebus carnem ſuillam fumo induratam, & braſſicam minus accurate coctam comediſſe, & ilico inde pondus in ventriculo, & nauſeam ortam eſſe, doloreſque increviſſe.

Quapropter præſcripſi purgans ex rhei electi Scrup. ij. & crem. tart. Scrup. 1. quod alvum quinquies movit, appetitum mox reſtituit, & reliqua ſymptomata mitigavit.

His factis, mane & veſperi quinque pilulas exhibui, quarum quælibet pondere duo grana habuit;

buit; hinc jam longe majorem copiam aſſumſit, quam antehac.

Decimo octavo Decembr. enarravit ægra, quod tempore fluxus menſtrui vix perceperit dolores, quodque color mammæ naturalis permanſerit.

Inquirendo tunc in tumorem infra axillam, tetigi, eum eſſe longe minorem, & valde mobilem; ulcera erant pura, & jam in ſanationem vergere videbantur, pus, quod fundebant, paucum erat, & optimæ conſiſtentiæ & coloris. Mammæ medietas ſupra papillam colore, magnitudine, & mollitie omnino naturalis fuit; verum medietas infra papillam, ad omnia rebellis, lapidea manſit; hinc de hujus reſolutione jam merito erat dubitandum; nihilominus ægra, viſo jam tanto progreſſu, ſe ſine interruptione diligentiſſime his pilulis uſuram promiſit, & rogavit, ut eas ipſi non denegarem.

Mane & veſperi ſex pilulas nunc exhibui.

Vigeſimo quarto Decembr. ægra ingentes dolores in mamma habuit, & mamma iterum tendi, & valde rubere cœpit.

Mala autem hæc ſymptomata tunc acceſſiſſe, affirmavit ægra, dum triduo abhinc mammæ ulcera, cruſtis craſſis obducta, coaluerunt, dumque liber materiei exitus fuit intercluſus.

Igitur ad cruſtas has emolliendas mammæ impoſui emplaſtrum de ſpermate ceti.

Altero die cruſtæ deciderunt, & ex ulceribus effluxit ſerum acre, dein pus prodiit, & mox tumor mammæ imminutus eſt, rubedo diſparuit, abiitque omnis dolor.

De-

Decimo quinto Jan. durities infra papillam, quæ huc uſque immutata perſtitit, nunc cœpit fundi, ægra nullos dolores habuit, & menſtruus fluxus debito tempore rediit, nec ullum malum ſymptoma produxit.

Tertio Februar. ægra continuos ructus, nauſeam, præcordiorum anxietates, & in mamma majores dolores conqueſta eſt, dixitque, quod id experiatur ſemper, dum ex leguminibus quidquam aſſumit; mammam tamen quoad magnitudinem, colorem, mollitiem in eodem ſtatu deprehendi, quo fuit die 15. Jan.

Quoniam ventriculum ab aſſumtis oneratum adverti purgans exhibui, quod magna cum euphoria operatum eſt; dein in uſu pilularum pergendum erat.

Vigeſimo quarto Febr. ægra admodum bene ſe habuit, ſcirrhus ſub axilla fuit multo minor, & ea durities, quæ infra mammæ papillam hæſit, inveniebatur mollior, & in ſex moleculas diviſa, gaudebam tunc multum, quod & hic ſcirrhus, alias pertinaciſſimus, tandem mutaretur.

Decimo tertio Mart. omnia in eodem ſtatu ſine ulla mutatione inveni. Suaſi ideo, ut ter de die ſex pilulas ſumeret.

Decimo April. ſcirrhus infra papillam mollis fuit, neque moleculæ amplius diſtingui potuerunt, ulcera fuere multo minora, nitida, pus bonum.

Vigeſimo nono April. fere omnia in eodem ſtatu fuerunt; ægra rogavit, ut purgans præſcriberem, quoniam levem nauſeam & pondus ſentiret.

Dedi igitur drachmam unicam rhei, quæ magnam copiam materiæ bilioſæ eduxit, & ægra dein belle habuit.

Vi-

Vigeſimo quarto Maj. mamma tota ad naturalem fere mollitiem, & magnitudinem rediit, ulcera cœperunt coire, & paucum ſolummodo, optimi coloris, & conſiſtentiæ, pus exſtillavit, tumor ſub axilla fuit exiguus.

Tertio Jul. mamma tota naturalis fuit, ulcera concreverunt, tumor ſub axilla vix amplius piſum adæquavit.

Juſſi, ut nunc a pilulis abſtineret, & rediret poſt aliquot ſeptimanas, ut hac ratione viderem, an mamma maneret bona? an iterum abiret in pejus?

Vigeſimo ſexto Auguſt. inveni omnia bona, & fœminam integre ſanam.

Statim ſub initium curæ, dein quinto menſe, tandem finita integra cura hanc fœminam ad *Illuſtriſſimum Baronem* VAN SWIETEN adduxi, ut experimenti progreſſum videret; lætabatur Is ſemper, & pro innata ſua benevolentia hanc ægram qualibet vice pecuniis remuneratus eſt.

CASUS TERTIUS.

FOEmina, viginti quatuor annorum, ſemper alias ſana, ab anni ſpatio advertit in mamma dextra tuberculum durum, mobile, quod ſenſim adeo increvit, ut 12. Octobr. 1758. dum me acceſſit, ovum anſerinum magnitudine adæquaverit.

Examinando vidi perfectum ſcirrhum eſſe.

Præbui ideo mane & veſperi tres pilulas, quarum quælibet grana duo pondere habuit, juſſique, ut infuſum, qualecunque placeret, ſuperbiberet.

Vi-

Vigeſimo quinto Octobr. ad me rediit, & inveni tumorem molliorem, paulo minorem; rogavit ægra an non liceret emplaſtrum adplicare, verum recuſavi, ut experirer quid pilulæ ſolæ efficerent, & ſuaſi propterea, ut jam mane & veſperi quatuor pilulas aſſumeret.

Decimo ſexto Novembr. vidi ſcirrhum in plurimas moleculas molles diviſum, gaudebat fœmina de bono ſucceſſu. Menſtruum fluxum rite habuit, neque tempore menſtruo a pilulis abſtinuit, quoniam nullam inde turbam advertit.

Præſcripſi purgans, quod bene operatum eſt, & mamma notabiliter detumuit.

Dein juſſi eam pilulas continuare.

Decimo quinto Decembr. rediit, & mamma fere naturalis fuit, exigua modo paſtacea moles ſupererat.

Tertio Jan. mamma erat penitus naturalis.

Tunc denuo præſcripſi purgans, & ab eo tempore hanc fœminam non amplius vidi.

CASUS QUARTUS.

MENSE Auguſt. 1758. virgo, 18. ann. ex morbo acuto in noſocomio convaluit, & poſtquam vires cœpit recuperare, ſenſit in mamma dextra ingentes dolores; hæc autem mamma jam a ſeſqui anni ſpatio lapidis inſtar dura fuit.

Dedi tunc pilulas ex Gum. ammon. ſapon. venet. ſal. polychr. rheo, &c. externe chirurgus Haffner cataplaſma ex ſapone veneto, lacte ſoluto, adplicuit.

Ab

Ab initio res in melius mutabatur, & mamma molleſcere cœpit, & dolores remiſerunt.

Poſthac vero iterum increverunt dolores, mamma denuo durior & purpurea facta eſt; tandem livuit, & poſt aliquot dies cutis rupta, ulcus ſordidum & multo fætidiſſimo ichore manans, efformavit.

Hinc externe fomentum ex foliis cicutæ adplicui, & interne dedi mane & veſperi tres pilulas, quarum quælibet grana duo pondere habuit.

Eodem adhuc die his remediis dolores multum imminuebantur.

Tertio die color lividus cœpit evaneſcere, & fœtidi ichoris loco tenue pus comparuit.

Septimo die tota mamma læte rubuit, ulcus fuit nitidum; dolores, qui per diem exigui erant, verſus veſperas pauliſper exacerbati ſunt; pus in ulcere jam nunc bonum deprehendebatur, & mamma mollior.

Decimo quinto die ulcus videbatur in ſanationem tendere, mamma multo mollior fuit, & color fere naturalis, dolores aut pauci, aut nulli.

Vigeſimo die mamma mole minor & mollior erat, & ulcus coaluit.

Vigeſimo quarto die aderant enormes dolores, qui ab eo tempore incœperunt, quo ulcus clauſum eſt.

Ad dolores mitigandos opio opus fuit.

Vigeſimo quinto die mamma circa papillam valde mollis erat, & quædam obſcura fluctuatio percepta eſt; noctu ob ingentes dolores opium denuo dari debuit.

Præ-

Præterea tamen ab hoc die cœpi mane & veſperi quatuor pilulas exhibere; & fomentum ex cicuta ſedulo adplicatum eſt.

Vigeſimo octavo die manifeſta erat fluctuatio, & dolores tunc acutiſſimi; rogavit ipſa ægra, ut mamma pertunderetur, quod & me ſuadente, diligentiſſimus mei noſocomii chirurgus HAFFNER perfecit.

Puris boni ingens copia effluxit, dolores ilico remiſerunt, & mamma tota collapſa eſt, in ambitu ſolummodo quædam ſcirrhoſæ portiones tangebantur; color mammæ naturalis fuit.

His factis, præter pilulas & fomentum ex cicuta nil adplicuimus, ut experiremur, quid his ſolis fieret.

Quotidie ſat magna puris boni copia prodiit, & ſcirrhoſæ portiones adeo cito diſſipatæ ſunt, ut quadrageſimo die ex iis nil fere ſuperfuerit, & ulcus mundum jam cœpit ſanari.

Quinquageſimo die mamma ſana erat, & ulcus cicatrice obductum eſt,

Solis igitur his pilulis, & fomento ex cicuta hæc ægra integere curata fuit; neque unquam quid mali ex fomento aut pilulis percepit; alvus quotidie bene cocta prodiit, exceptis iis diebus, quibus opio utendum erat.

Sub finem purgans huic ægræ exhibui, quod magna cum euphoria alvum quater eduxit.

Poſt tres dein dies prima vice menſes citra vel minimum incommodum proruperunt, unde hæc, jam integre ſana, noſocomio valedixit.

CASUS QUINTUS.

FOEmina, 28. ann. ſex ſeptimanas ab ultimo partu in mamma dextra duritiem & dolorem advertit, & infans ubera ſugens hanc mammam reſpuit.

Sub initium nil adplicuit præter linteamina, fumo aromatico imprægnata.

Quum autem duritiem increſcere, & dolores augeri percepit, emplaſtrum mammæ adpoſuit, verum mamma inde rubuit, & dolores adeo acuti facti ſunt, ut miſera, noctu diuque, dormire non potuerit.

Tandem (8vo. menſe) acceſſit febris, ſitis magna, & anxia reſpiratio; unde mater cum infante ad meum noſocomium tranſlata eſt.

Infantem ilico a matre ſeparare ſtatueram; verum is nil cibi potuſve aſſumpſit, & continuo vagitu vires amiſit; quam primum autem mammis iterum admotus eſt, quievit, & poſtea placide dormivit.

Hinc ægræ matris lac infanti erat concedendum.

Matri, quoniam febris magna fuit, & pulſus elevatus, durus, venam juſſi ſecari; mammæ dolenti cataplaſma emolliens applicui, & pro medicamento atque potu ordinario dedi decoctum reſolvens, nitroſum.

Intra binos dies dolor in mamma valde mitis factus eſt, & febris penitus deſiit.

Iiſdem

Iiſdem remediis per tres adhuc dies continuavi, & tunc fere omnes dolores abſuerunt, durities vero manſit eadem, febris non amplius rediit; unde medicamenta mutavi.

Externe jam adponebatur cataplaſma ex ſapone veneto, lacte ſoluto; pro medicamento interno data eſt miſtura ſequens.

℞. Sapon. venet. unc. ß. ſolv. in aq. flor. ſamb. lib. j.

dein adde:

ſal. polychr. dr. ß.

ſyrup. de cich. c. rheo

unc. ij. ß. M.

S. ſumat ægra omni bihorio unciam unam.

Poſtquam per decem dies ſine interruptione hanc miſturam exhibui, nil mutatum in mamma inveni, & ægra ſenſim a medicamento abhorruit; infanti cæteroquin ſano glandulæ colli tumere, & indureſcere cœperunt.

Quapropter matri ter de die tres pilulas ſumendas dedi, & juſſi copioſum infuſum flor. ſamb. deſuper hauriret.

Intra triduum jam adverti mammam in ſuperficie, molliorem, & ægra dixit, quod liberius reſpiret, quod urina copioſius fluat.

Infans ubera matris ſugens nequaquam inde quid mali ſenſit.

Poſt octo dies inveni ſcirrhum mammæ in plures moleculas diviſum; infans incidit in levem diarrhæam; & mater jam non amplius tantam urinæ copiam reddidit.

Decimo quarto die mamma tota paſtacea fuit, ægra bene appetiit, alvum quotidie ſolito naturæ

 curſu,

curſu, ut antehac, depoſuit; infans leni diarrhæa adhucdum laboravit, inde autem debilitatus non eſt, & colli glandulæ ſenſim ad naturalem ſtatum redierunt.

Vigeſimo quarto die mamma fere naturalis fuit, neque infans diarrhæa amplius vexabatur.

Trigeſimo die matri dedi drachmam unam rhei electi, unde probe purgata eſt; & poſt aliquot dies integre ſana cum ſano infante ex noſocomio diſceſſit.

Doſin pilularum non auxi, novem quotidie ſuffecerunt.

CASUS SEXTUS.

VIRO, ſexaginta quatuor annorum, fœtidiſſimus cancer ab angulo oris ſiniſtro ad aurem uſque omnia depaſcebat, remedia quæcunque tentata malum nequaquam inhibuerunt: ipſe cortex peruvianus effecit nihil.

Dedi igitur mane & veſperi pilulas ſex cum infuſo flor. ſamb. & externe adpoſui emplaſtrum diapomphol.

Primo die æger nullum levamen habuit.

Secundo die dolores remiſerunt, æger noctu dormivit, neque ulcus tantopere fœtuit.

Tertio die copioſiſſimum ſerum acre ex ulcere effluxit, & labia prius valde tumida, detumuerunt.

Quarto die minor ichoris copia promanavit, & fœtor fuit exiguus.

Quinto die ichoris loco tenue pus comparuit, & ulcus ſatis purum videbatur.

Sexto,

Sexto, ſeptimo, octavo, nono die eadem obſervata ſunt, dolores erant pauci, apetitus bonus.

Decimo die dolores iterum majores fuerunt, ulceris labia erant tenſa, tumida, & valde rubra.

Duodecimo die denuo copioſum ſerum ex ulcere deſtillavit, unde dolores mitigati ſunt, & tumor labiorum imminutus.

Decimo Tertio die ulcus iterum ſordidum fuit, tetrum odorem ſparſit, & magnum dolorem excitavit.

Decimo Quarto die auxi pilularum doſin, atque mane & veſperi octo exhibui.

Decimo Quinto die ulcus copioſiſſimo ſero manavit, & dolores multum decreverunt.

Decimo Sexto die aderat bonum pus, neque ullum dolorem conqueſtus eſt æger.

Decimo Septimo die ulcus mundum videbatur, pus omnino bonum, dolor nullus.

Decimo Octavo die idem obſervatum eſt.

Decimo Nono die redierunt denuo magni dolores, intumuerunt ulceris labia, unde æger pertæſus rus abivit, & balneatori ſeſe confidit, hic autem emplaſtris & decoctis tantum effecit, ut cancer mox integram fere faciem occuparit, & miſerrimo ægro intra tres ſeptimanas adtulerit necem.

Sub uſu pilularem cancro limites ponebantur, etenim is neque in amplitudinem, neque profunditatem prorepſit; ilico autem in pejus ruit, dum æger a pilulis abſtinuit.

CASUS SEPTIMUS.

NOBILIS matrona venando Sclopetum paulo fortius ad mammam dextram adtruſit.

Dolorem inde magnum non habuit; ſed poſt unam alteramve ſeptimanam advertit in eadem mamma tuberculum, piſum magnitudinem adæquans.

Hoc tuberculum citra dolorem ſenſim increvit ita, ut nucem juglandem multum ſuperaverit.

Hoc in ſtatu hæc matrona ad me mittebatur; & ilico, caſu examinato, mane & veſperi tres pilulas exhibui.

Octavo die ad me rediit; inſpiciendo mammam, nil mutatum inveni.

Decimo ſexto die tuberculum in ſuperficie mollius adparuit; nullum unquam dolorem hæc matrona in mamma percepit; dum autem his pilulis uſa eſt, alvum quotidie præter conſuetudinem bis aut ter liquidam depoſuit, vires tamen inde diminutæ non ſunt, neque appetitus.

Poſt menſis ſpatium tuberculum mole minus, mollius, & longe mobilius videbatur.

Elapſo ſecundo menſe tuberculum fere $\frac{1}{2}$ minus erat, & molle, hinc pilulas ſedulo continuandas ſuaſi; verum ab hoc tempore hanc matronam non amplius vidi.

Sub uſu pilularum ſemper ſana fuit, menſes ipſi rite prodierunt, neque iis fluentibus pilulas neglexit, quoniam nullam inde noxam obſervavit.

CASUS OCTAVUS.

FOEmina, 43. ann. 22. Mart. 1759. me acceſſit, gerens mammam ſiniſtram admodum magnam, lapidis inſtar duram, immobilem, purpuream, hinc inde lividam, & acutiſſime dolentem; præterea brachium ejuſdem lateris præ dolore mammæ & tumore glandularum ſubaxillarium movere non potuit, reſpiratio inter ambulandum fuit brevis, difficilis, tuſſiculoſa.

Omnia ſigna cancrum occultum adeſſe teſtabantur.

Cauſam & originem hujus mali in maritum rejecit, qui, ſeſqui anno abhinc, cubitu in hanc mammam fortiter impegit; unde mox tuberculum natum eſt, quod in tantam molem accrevit, & abiit in cancrum.

Antequam huic fœminæ quid medicamenti exhibui, eam ad *Illuſt. Baronem* VAN SWIETEN adduxi, qui rebus rite conſideratis caſum difficilem & experimento dignum agnovit, ſuaſitque, ut mane & veſperi tres pilulas darem, atque hanc fœminam omni decimo quarto die ad *Eum* mitterem, ut hac ratione de effectu eſſet certus.

Trigeſimo Mart. fœmina ad me rediit, dicens: dolores eſſe minores, cæteroquin vero mammam in priori ſtatu permanſiſſe.

Juſſi tunc ut mammam denudaret, & vidi ſtatim, colorem totius mammæ mutatum eſſe, ita quidem, ut ea ex parte, qua mamma purpurea fuit, nunc lætus rutilus color adeſſet, qua parte

parte vero livida & ſubnigra fuit, nunc purpuraſceret; imo verſus axillam deprehendi mammam molliorem; hinc ſuaſi, ut pilulas ſedulo continuaret.

Sexto April. eam adduxi ad *Illuſt. Baronem* VAN SWIETEN; gaudebat *Is* ſummopere de bono remedii effectu, etenim vidit manifeſte colorem, qui antehac cancroſus erat, jam hinc inde in naturalem mutari, aliis in locis læte rubere, & nullibi amplius livere. Dolores quoque minores eſſe fœmina affirmabat; verum reſpiratio manſit æque difficilis, tuſſiculoſa. *Illuſt. Baro.* tangendo mammam ubique in margine molliorem, & minorem invenit; quapropter fœminam pecuniis donavit, ut in utendo alacriter pergeret.

Decimo tertio April. mamma iterum mollior, & paulo minor fuit; verum ſupra papillam erat quoddam ſpatium, tres pollices longum, duos latum, quod nullo modo mutabatur, & valde rubuit, & fuit immobile.

Juſſi tunc, ut ægra mane & veſperi quinque pilulas aſſumeret.

Vigeſimo April. cum ægra adivi *Illuſt.* VAN SWIETEN; conquerebatur tunc dolores per vices redeuntes, acute pungentes, rodentes, urentes; tuſſis fuit paulo frequentior, dixitque ægra quod tuſſiendo majorem in mamma dolorem ſentiret, quod pulmo cum mamma quaſi cohæreret, eamque tuſſiendo introrſum traheret.

Cæteroquin portio mammæ verſus axillam, ſeſqui pollicem lata, mollitie, colore, & magnitudine penitus naturalis erat; hinc *Illuſt.* VAN SWIETEN, mammæ duritiem glaciei inſtar fundi ajebat.

Nihil-

Nihilominus tamen tumor ſupra papillam immutatus perſtitit.

Tuſſi ſiccæ, ut pauliſper iretur obviam, tunc præter pilulas præſcripſi decoctum ex rad. alth. fol. alth. & Syrupo alth.

Vigeſimo Septimo April. ægra eandem tuſſim, & eoſdem dolores conqueſta eſt; verum advertit ipſa, quod thoraculam longe arctius poſſit conſtringere, quam ante quatuordecim dies, & hinc concluſit, mammam eſſe minorem.

In doſi pilularum, & in uſu decocti perreximus.

Quarto Maj. denuo acceſſimus *Illuſtriſſimum Baronem*, mamma tota minor & mollior fuit, excepta ea duritie, quæ ſupra papillam coſtis firmiſſime adhæſit.

Decimo Octavo Maj. ægra melius ſe habuit, tuſſis fuit minus moleſta, dolores mediocres, mamma mollior. Durities ſupra papillam in eodem ſtatu permanſit; tuſſi autem ſputum glutinoſum prodire cœpit.

Primo Junii *Illuſtriſſimus* VAN SWIETEN lætebabur, dum vidit mammam ad minimum $\frac{2}{3}$ eſſe minorem. Ægra autem conquerebatur dolores nocturnos, tuſſim noctu moleſtam; unde ſuaſit *Illuſtriſſimus*, ut veſperi ægræ maſſa pilularum de cynogloſa exhiberetur.

Decimo quinto Junii ægra rediit læta, dicens: quod jam bene dormiret, rarius tuſſiret, quod fere omnium dolorum eſſet expers; reſpiratio erat paulo liberior, ſputa purulenta prodierunt.

Durities ſupra papillam quoque cepit molleſcere.

Vigeſimo Nono Junii ægra denuo liberius reſpiravit, ſputa purulenta facile rejecit, durities autem ſupra papillam fuit in eodem fere ſtatu. Hinc externe fomentum ex foliis cicutæ adplicui.

Decimo Tertio Julii rediit conquerens, quod ex fomento applicato durities ſupra papillam incipiat exulcerari.

Dum mammam conſideravi, vidi parvo in ſpatio epidermidem ſeceſſiſſe, cutim eſſe ruptam, & ichorem acrem exſtillare.

Dum autem in cauſam accuratius inquiſivi, faſſa eſt ægra, quod ingratum pruritum & formicationem in mamma perceperit, quodque tunc partim unguibus, partim induſio duriorem mammæ partem fortiter fricuerit, & quod ab eo tempore ardorem ingentem ſenſerit, & ichoris ſtillicidium.

Fomentum juſſi continuare, & pilulas mane & veſperi octo dedi.

Vigeſimo Julii jam aderat ulcus ſat profundum, labia ulceris erant livida, ichor valde fœtuit, ægra habuit majores dolores, ſputis pus prodiit.

Vigeſimo ſeptimo Julii ulcus iterum profundius fuit, verum dolores remiſerunt, ichor effluens fœtuit, pus nullum aderat; fruſtra autem lata, coriacea, dura, fœtida ex ulcere prodibant; hinc durities ſupra papillam, huc uſque ad omnia rebellis, & folliatione minui videbatur.

Sputa purulenta copioſe proceſſerunt; tuſſis autem in ulcere tenſionem, & magnum dolorem excitavit.

Labia ulceris naturalem colorem ſenſim iterum recuperarunt.

Hoc

Hoc in ſtatu hanc ægram ad meum noſocomium ſuſcepi.

Dominus *Haffner* chirurgus eam bis quotidie deligavit, & ulcus linteis carptis, infuſo cicutæ madidis, implevit; plurima quotidie fruſta coriacea exciderunt, & tumor multum imminutus eſt, ægra nullum dolorem habuit, ſine opio dormivit, de die autem frequenter tuſſivit, & ſputa purulenta egeſſit.

Quinto Auguſti in ulcere pus cœpit comparere, fœtor fere omnis evanuit, & durities ſuppuratione minuebatur, labia ulceris erant pura, & optimum habebant colorem; vires ægræ erant ſatis bonæ, ſputa libere prodierunt, & reſpiratio fuit multo facilior.

Decimo ſexto Auguſti ægram denuo ad *Illuſtriſs. Baronem* van Swieten adduxi; mirabatur, quod ſcirrhus, antehac adeo pertinax, nunc benigna ſuppuratione minueretur, fecitque ſpem maximam, fore: ut conſumpta hac pauca superſtite duritie, ulcus ſponte conſolidaretur.

Et ſane, omnia ſucceſſerunt optime, & jam plurima ſanationis ſigna aderant.

Vigeſimo quarto Auguſti ægra denuo frequentiorem tuſſim, & inde in mamma magnos dolores conquerebatur; etenim dixit, quod mamma, quaſi chorda ligata, tuſſiendo verſus cavum pectoris acutiſſimo cum dolore traheretur; hinc noctes fuerunt iterum inquietæ, quare denuo ad opium confugiendum erat.

Dato opio ægra belle ſe habuit, appetiit, vires erant majores, tuſſis minus moleſta, ſputa facilia, purulenta.

Secundo Septembr. circa octavam matutinam vidi hanc ægram bono in ſtatu, extra lectum deambulantem, nec de dolore, nec de tuſſi conquerentem.

Eodem adhuc mane clanculum ab amicis vinum adferebatur, quod ægra abeuntibus amicis jejuno adhuc ventriculo avidiſſime hauſit; unde mox vertiginoſa vomuit, cecidit, & intra pauca minuta obiit apoplectica.

In dura & pia matre plurimas venas varicoſas invenimus, cerebellum copioſo, grumoſo ſanguine comprimebatur.

Pulmonis ſiniſtri lobus medius, totus ſcirrhoſus & gravis, repertus eſt, lobus autem ſuperior partim ſcirrhoſus, partim ſuppuratus.

Bini hi lobi cum pleura ex anteriori parte erant firmiſſime connati, nec ſine læſione inde potuerunt ſeparari.

Ulcus fuit purum, muſculi pectorales ſaniſſimi; labia ulceris optimum colorem habuerunt, & cum partibus vicinis denuo concreſcere, propiuſque ad ſe invicem accedere cœperunt; hinc nemo de integra hujus ulceris curatione dubitare potuiſſet.

CASUS NONUS.

FOEmina (23. ann.) a binis annis in toto colli circuitu glandulas tumidas, & ſcirrhoſas habuit, & hac ratione collum craſſitie fere caput adæquavit.

Plurimæ ex his glandulis cancroſo ulcere corrodebantur.

Hæc

Hæc ægra tentatis jam innumeris remediis, a diverſis medicis & chirurgis exhibitis, nullum levamen percepit, & tandem ad noſtrum noſocomium devenit.

Egregius chirurgus *Haffner* externe ea omnia adplicuit, quæ ars chirurgica indicavit, ſubminiſtravitque.

Ego præterea decocta copioſiſſima & pilulas ex gum. ferulac. reſin. lign. ſanct. ſapon. venet. terr. foliat. tart. maſs. Pil. extr. cath. &c. exhibui.

Per ſex ſeptimanas hæc remedia diligentiſſime continuabantur, nullam tamen mali emendationem adverti.

Ulcera continuo fœtidum & malignum ichorem fuderunt; imo materies ichoroſa membranam celluloſam corroſit, & profundos ſinus ac fiſtulas produxit.

Demum his conſideratis, dedi ſpiritum frumenti cum mercurio ſublimato.

Ægra autem inde dolorem in pectore ſenſit, cœpit tuſſitare, & conqueſta eſt in oſſe ſterno ardorem, licet copioſiſſima decocta ſimul hauſerit.

Nihilominus tamen in quartam ſeptimanam hunc ſpiritum continuavi, quoniam ſymptomata ex uſu hujus ſpiritus ſupervenientia, dein longe mitiora facta ſunt; verum tunc levis ſalivatio orta eſt citra levamen.

Hinc & ab hoc remedio abſtinui, atque externe adplicui, fomentum ex cicuta, & propter infuſum hœder. terr. veron. agrimon. &c. dedi ter de die pilulas quatuor.

Sexto die dolores remiſerunt, livor glandularum exulceratarum in lætam rubedinem tranſivit, ichor evanuit, & pus dilutum ejus loco viſum eſt.

Decimo die tumor colli & glandularum fuit longe minor, ulcera ſatis pura, pus bonum, ægra quiete dormivit, appetiit, nullos ſenſit dolores.

Vigeſimo primo die jam quædam ulcera cicatrice obducebantur, tumor colli fuit multo minor, glandulæ multæ jam naturales, ſinus minus profundi.

Juſſi tunc, ut ægra ter de die ſex pilulas aſſumeret.

Trigeſimo ſecundo die omnia iterum erant meliora, plurimi ſinus jam fuerant clauſi, binæ ſolummodo magnæ, calloſæ fiſtulæ in parte ſiniſtra ſuperant, quæ, arte chirurgica ſectæ, eodem fomento, & iiſdem pilulis intra quatuordecim dies percuratæ ſunt, & tunc fere omnes glandulæ ad naturalem ſtatum redierunt, nulla ſcirrhoſa durities amplius tangi potuit, pauca tantum paſtacea tubercula hinc inde reperta ſunt.

Dedi tunc ægræ purgans ex rhei dr. ß. ſcammon. gr. viij. ſal. polychr. gr. xv. quod ſexies alvum ſolvit, nec ægram debilitavit.

Poſthac per binas adhuc ſeptimanas ter de die ſex pilulas aſſumpſit ægra, externe autem nil amplius adpoſitum eſt.

Finitis his binis ſeptimanis integra aderat ſanitas.

Menſtruus fluxus huic ægræ debito tempore ſemper rediit, neque pilulæ quidquam turbarunt.

Curatam hanc fœminam per tres adhuc ſeptimanas in noſocomio retinui, ut viderem, an glandu-

dularum tumores non redirent? vel an ſinus fors nimis mature clauſi, denuo recrudeſcerent?

Verum fœmina manſit ſaniſſima; unde eam ex noſocomio dimiſi; rogans tamen, ut apparente vel minimo tumore ilico ad me reverteretur.

Eſt autem jam ſeptimus menſis, quod eam non viderim.

CASUS DECIMUS.

VIrgini (18. ann.) glandulæ ſubmaxillares ſcirrhoſæ factæ ſunt, & quælibet fere ovum galinaceum magnitudine adæquavit.

Huic ilico mane & veſperi ſex pilulas dedi, quibus integro menſe ſine omni omnino effectu uſa eſt.

Sexta ſeptimana primo tumores cœperunt emolliri, & minui.

Senſim dein in toto ambitu paſtacea mollities obſervata fuit.

Septima ſeptimana quotidie ter ſex pilulas exhibere cœpi, præterea dedi omni octiduo purgans rhebarbarinum.

Hac ratione ſpatio trium menſium hæc ægra integre reſtituebatur.

CASUS UNDECIMUS.

FOEmina (67. ann.) a binis annis fœtidiſſimum apertum cancrum in mamma ſiniſtra habuit, qui tantæ erat amplitudinis, ut limbus ejus ſuperior fere maxillam inferiorem adtigerit, inferior autem ad ventrem uſque deſcenderit.

Illuſtriſſimus Baro VAN SWIETEN, ſpectabilis Dominus Decanus de *Dietman*, celeberrimus anatomiæ Profeſſor *Gaſſer*, chirurgiæ Profeſſor JAUS, & alii qui examini chirurgico in Domo *Univerſitatis* interfuerunt, hanc miſerrimam fœminam primo viderunt, eamque die vigeſimo Junii 1759. ad me miſerunt.

Mamma tota fuit ex fuſco nigra, tuberoſa, ichor vel eminus teterrime fœtuit, ægra nec appetiit, nec præ dolore potuit dormire.

Juſſi, ut mane & veſperi pilulas quatuor aſſumeret, & externe de die applicui fomentum ex foliis cicutæ, noctu vero emplaſtrum diapompholygos.

Vigeſimo octavo Junii, rediit, & ſummo cum gaudio enarravit, quod non amplius tantopere doleret, noctu placide dormiret, neque tantum ac antea fœtorem adverteret.

Mammam inſpiciendo ichoris loco pus tenue obſervavi.

Sexto Julii color mammæ fuit rutilus, pus bonum, moles minor, fætor exiguus; hinc ægra ſe ſtrenue continuaturam promiſit, & infinitas egit gratias.

De-

Decimo quarto Julii cancer ſuit multo minor, pus bonum, fætor nullus, color bonus, & ægra dixit, quod interim magna fruſta, ex mamma ſeparata, ceciderint, quod omni altero vel tertio die ingens ſeri copia ex mamma prodeat, quodque tunc moles mammæ viſibiliter concidat.

Vigeſimo ſecundo Julii omnia iterum erant meliora, & ægra de nullo incommodo conqueſta eſt.

Poſtea, dum examen medicum fuit, hanc ægram denuo ad Domum *Univerſitatis* adduxi.

Illuſtriſſimus VAN SWIETEN, ſpectabilis Dominus Decanus, omneſque medicinæ Profeſſores, qui hanc miſeram antea viderunt, egregium effectum, & celerem mutationem mirati ſunt.

Etenim color mammæ erat optimus, fœtor fere nullus, pus bonum, cancri moles $\frac{1}{2}$ minor.

Illuſtriſſ. VAN SWIETEN tunc hanc ægram auro donavit, & blandis verbis hortatus eſt, ut in uſu ſedulo pergeret.

Tertio Auguſti mamma iterum minor videbatur, verum noctes erant inquietæ ob dolores, circa veſperas revertentes, hinc dandum fuit paregoricum, quod omnes turbas mox ſedavit.

Fomento ex cicuta, & pilulis in eadem ſemper doſi continuatum eſt.

Decimo quinto Auguſti mamma cancroſa pugnum virilem magnitudine adhuc pauliſper ſuperavit; pus aderat bonum, fætor nullus, vires (ratione habita ætatis) bonæ.

Vigeſimo ſexto Auguſti denuo *Illuſt.* VAN SWIETEN adivimus, vidit is omnia eſſe valde bona, unde lætabatur, & ſpem dedit maximam,

fore, ut intra paucas ſeptimanas (ſi res ſemper ita pergeret) cancer penitus funderetur.

Secundo Septembris ægra omni ex parte bene ſe habuit, cancer pugnum non amplius adæquavit.

Sexto Septembris miſit ad me, nunciatura, quod tempore matutino ſedens in platea & fructus horæos vendens a ſubito violento vento ingens frigus per omnes corporis partes ſenſerit, quod mox orti ſint enormes ventris dolores, quos ſequebatur alvi fluxus admodum copioſus & dolens, atque vires conciderunt ilico.

Juſſi, ut ſtatim a pilulis abſtineret, & medicamenta ſimili in morbo convenientia præſcripſi.

Altero mane mihi ſignificari curavit, quod alvi fluxus, & dolores eſſent æque violenti, quod cum alvo prodeat ſanguis, quod ſitis ſit magna, & accedat frequens animi deliquium.

Unde ego & Dominus *Leber* chirurgus eam eodem adhuc mane acceſſimus, & quæcunque ego interne aut externe utilia credidi, ſumma cum attentione adhibui, verum in omnibus fui fruſtra.

Tertio die facies facta eſt cadaveroſa, & quarto die miſera obiit.

Mammam poſt mortem abſcidit Dominus *Leber*, eamque ad domum *Univerſitatis* adtulit, dum denuo examen medicum fuit.

Tunc vidit *Illuſtriſſ.* VAN SWIETEN, & omnes Medicinæ Profeſſores celerem & optimum in hoc deſperato caſu effectum; unde doluerunt, felicem experimenti progreſſum fortuita morte turbatum eſſe.

CASUS DUODECIMUS.

DIE quarto April. 1759. celeb. Profeſſor de HAEN fœminam ad me miſit, cujus collum innumeri ſcirrhi occuparunt, quorum plurimi erant maligne exulcerati.

Mamma ſiniſtra quoque tota ſcirrhoſa fuit, & ea ex parte, qua axillam ſpectabat, livido ac purpureo colore tincta; ibidemque ex anguſto foramine copioſus, ardens & erodens ichor effluxit.

Præterea & ſub axillis, & in inguinibus multi, diverſæ magnitudinis, ſcirrhi latuerunt.

Sub initium ſtatim ter de die quatuor pilulas huic fœminæ dedi, & infuſum herbæ veronicæ ſuperbibendum.

Decimo quarto die ægra rediit, & dixit, quod ex uſu harum pilularum ſcirrhi exulcerati longe majorem ichoris copiam fuderint; verum quod ichor effluendo ne minimum ardorem in cute excitaverit.

Scirrhorum color, antea lividus, nunc naturalis aut rutilus fuit, moles quoque multo minor, major autem colli & glandularum mobilitas.

Ægra quoque ſub axillis levamen habuit, etenim brachia facilius movere, & ſine dolore (quod antea erat impoſſibile) arctius corporis trunco applicare potuit.

In mamma color lividus fere totus diſparuit, & mamma fuit mollior, mole minor, & ex anguſta illius apertura bonum pus prodiit.

In eadem pilularum doſi continuandum tunc putavi, & dedi tantam quantitatem, ut per tres ſeptimanas ſufficerent, ne ægra, e longinquo habitans, toties deberet redire.

Abſumptis his pilulis rediit, & multi ſcirrhi jam penitus evanuerunt, ulcera plurima bona cicatrice erant obducta; ſub axillis, & in inguinibus tubercula fuerunt valde parva, omnia mobilia, nullo modo dolentia.

Mamma & mole & duritie fere naturalis fuit, & per aperturam paucum pus exprimi potuit.

Pro integro menſe tunc copiam pilularum exhibui, non tamen auxi doſin.

Menſe elapſo rediit ægra, rogans: an pilulas adhucdum deberet continuare, quoniam neque in collo, neque ſub axillis aut inguinibus, neque in mamma quid doloris aut incommodi ſentiret; quoniam ulcera eſſent omnia ſanata, & Scirrhi adeo parvi, ut jam hos ſine omni moleſtia ferre poſſet?

Dum mammam conſideravi, inveni eam penitus naturalem, apertura erat optime conſolidata, verſus axillam tuberculum, ob parvitatem vix ſenſibile, tangebatur.

Ulcera colli firmas cicatrices habuerunt, Scirrhi vel abierunt penitus, vel fuerunt adeo parvi, ut nec ſeptima pars amplius ſuperfuerit.

Sub axillis unum alterumve tuberculum, piſi magnitudine, repertum eſt, cætera erant omnia mollia, naturalia.

In inguinibus dixit ægra, quod omnis tumor diſparuerit, & quod nunc liberrime ambularet.

Dedi denuo pro quatuor ſeptimanis pilulas, & juſſi his abſumptis rediret.

Verum eam adhucdum exſpecto:

CASUS DECIMUS TERTIUS.

VIRGO, 18. ann. a multis annis parotides, glandulas ſubmaxillares, totiuſque colli ſcirrhoſas & adeo tumidas habuit, ut collum craſſitie caput multum exceſſerit.

Remedia, ab expertiſſimis medicis ac chirurgis præſcripta, nihil omnino juverunt.

Imo plurimæ partes cœperunt livere, vehementer dolere, tandem in cancroſa & fœtida ulcera abire; acceſſit ſudor nocturnus, virium dejectio, tabes.

Licet hæc ægra ab illis, in quorum ſervitiis fuit, multum fuerit amata, nihilominus ob tam horrendas exulcerationes, ob ingentem & malignum fœtorem, atque inde timendum contagium, in noſtrum noſocomium transferri debuit.

Ego & Dominus *Haffner* chirurgus inter hos Scirrhos & ulcera innumeros ſinus & fiſtulas invenimus, præterea ægra fuit valde debilis, & conqueſta eſt, quod ob dolores nocturnos dormire nunquam poſſet.

Hinc veſperi opio utendum erat.

De die autem bis exhibui tres pilulas cum infuſo hederæ terreſtris, ſcabioſæ, veronicæ & multo lacte. Externe adplicuimus fomentum ex cicuta.

Ter-

Tertio die dolores jam longe erant mitiores, ichor copioſus profluxit, acer quidem, ſed minus fœtens, & collum pauliſper detumuit.

Octavo die hinc inde bonum pus comparuit, glandulæ plurimæ mobiles factæ ſunt, & ægra ſine opio cœpit dormire, ſudor nocturnus quoque minus copioſus fuit.

Decimo quarto die fere ubique bonum pus fuit, & tumores ſcirrhoſi minores.

Auxi tunc pilularum doſim, & mane ac veſperi quatuor dedi; fomentum ex cicuta ſedulo applicatum eſt.

Trigeſimo die ſudor nocturnus ceſſavit penitus, multi ſinus jam erant clauſi, ulcera optimum habuerunt colorem, & quædam jam ad ſanationem vergebant; tres autem aderant fiſtulæ calloſæ, quæ arte chirurgica debuerunt ſecari.

Quadrageſimo quarto die jam quædam ulcera coaluerunt, reliqua dederunt pus bonum, tumor colli fuit multo minor, ægra appetitum & vires recuperavit.

Sexageſimo die ulcera fere omnia erant clauſa, collum detumuit, & cutis colorem habuit naturalem, omnes glandulæ fuerunt minores, mobiles; verum ſupra claviculam ſiniſtram hæſit ſcirrhus magnitudine ovum anſerinum ſuperans, & percuſſus edens ſonitum cartilaginis, tumor hicce toto hoc tempore ex uſu remediorum nullo modo mutatus eſt.

Septuageſimo quarto die multi ſcirrhi in plures moleculas diviſi reperiebantur; in ſiniſtra colli parte una glandula denuo abiit in ulcus, & per tres dies materiam ſuppurulentam fudit; poſtea totus

totus ſaccus collabebatur, & intra paucos dies cicatrix formata eſt.

Nonageſimo die collum jam in pluribus locis naturalem mollitiem & magnitudinem habuit, neque decima tumoris pars amplius ſuperfuit. Scirrhus tamen ſupra claviculam in eodem ſtatu permanſit, & quoniam mobilis fuit, atque omni medicamentorum vi reſtitit, eum ſcalpello voluimus auff rre; aſt ægra renuit, & quum jam ſatis robuſta fuit, & collum commode movere potuit, e noſocomio ad ſuos rediit.

Per binos menſes tunc ab omni medicamento abſtinuit, & toto hoc tempore ſcirrhi nec majores nec minores facti ſunt.

Tandem me iterum acceſſit, rogatura: an non & in ſuo ſervitio pilulis uti liceret?

Suaſi ilico & dedi mane ac veſperi tres ſumendas.

Poſt tres ſeptimanas, abſumptis pilulis, ad me rediit, & ſcirrhi erant minores, mobiliores.

Finita quinta ſeptimana ægra denuo ad me acceſſit, mihique magno cum gaudio oſtendit, quod pertinaciſſimus ſcirrhus ſupra claviculam ſiniſtram, quem ante cartilagineum credidimus, nunc eſſet minor, & diviſus in ſex tubercula.

Mirabar effectum, quem jam longo tempore exoptavi; ſuaſique, ut nunc mane & veſperi quatuor pilulas ſumeret.

Poſt quatuor ſeptimanas hanc ægram iterum vidi, & erant omnia meliora.

Jam in quintum menſem his pilulis utitur, & nunc jam ter de die ſumit ſex, nil mali inde ſentit, robuſta eſt, bene dormit, libere reſpirat, quod antea

antea non potuit, bene appetit, alvus prodit quotidie naturalis & rite cocta, ſcirrhi ſuperſtites ſenſim minuuntur, & omnia, lentam quidem, attamen integram ſanationem promittunt.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

DIE 12. Septembr. 1759. me adivit fœmina, 40. ann. cujus mamma dextra ſex abhinc ſeptimanis intumuit, & abiit in ſcirrhum.

Doctiſſimus medicus *Collin*, qui me ſua præſentia tunc honoravit, hanc fœminam ſimul vidit.

Statim in principio dedi ter de die pilulas tres & juſſi, poſt octiduum rediret.

Rediit tunc ægra plena ſolatio, quoniam ſcirrhus erat mollior, & mobilior.

Suaſi, ut diligenter continuaret.

Spatio trium ſeptimanarum feci, ut redeunte ægra adeſſet iterum Dominus *Collin*, qui ſummopere miratus eſt celerem in hac fœmina effectum, etenim jam plus quam dimidia ſcirrhi pars evanuerat.

Pro integro menſe tunc ſufficientem pilularum copiam dedi, ne ægra, quæ integra fere hora abhinc habitavit, toties me accedere cogeretur.

Abſumptis his pilulis ſcirrhus vix amplius ovi magnitudinem habuit.

Præſcripſi tunc purgans, & pro altero menſe iterum pilulas ſuppeditavi.

Finito hoc menſe, magno cum deſiderio hanc fœminam expectavi, verum non amplius rediit.

CA-

CASUS DECIMUS QUINTUS.

VIR (53. ann.) ex impuro coitu malum venereum contraxit, idque partim ex pudoee, partim ex pecuniarum defectu neglexit.

Tandem intumuit teſticulus ſiniſter, vehementer doluit, & totus ſcirrhoſus factus eſt; & membrum virile in tantam molem excrevit, ut penem equinum longe ſuperaverit.

Denique tribus in locis ex membro fungoſæ excreſcentiæ ortæ ſunt, quæ brevi in fœtidiſſimos cancros abierunt.

Scrotum ipſum cancroſo ulcere fuit exeſum, atque teſticulus ſiniſter totus nudus, exulceratus, cancroſus ex ſcroto pependit.

Hinc miſer nec quiete jacere, nec præ dolore dormire, minus autem ambulare potuit.

Unde peſſimis his in circumſtantiis in noſtrum noſocomium ingerebatur.

Dum ego & Dominus *Haffner* chirurgus has partes inſpeximus, horruimus præ fætore; teſticulus ſiniſter ex ſcroto propendens totus erat cancroſus, & major, quam duo pugni viriles.

Nec penis, nec ſcrotum, nec teſticulus rudiorem adtactum tulerunt, etenim prodiit ilico copioſiſſimus ſanguis.

Æger præ debilitate ſæpius animi deliquium paſſus eſt, fætor autem tantus fuit, ut inter alios ægros hunc relinquere non potuerimus, ſed cogebamur eum ſeparatim ponere.

Sub initium quotidie unciam j. ß. corticis peruviani exhibui, ut hac ratione acrimonia corrigeretur, corruptumque a ſano ſecederet.

Verum quarto die æger corticem, quacunque forma exhibitum, ulterius ſumere renuit, neque inde vidimus levamen aut ullam mutationem; imo vires ægri magis conciderunt, & appetitus deletus eſt.

Deſperato igitur hoc in caſu pilulas & fomentum ex cicuta tentare concluſi.

In principio ſtatim ter de die ſex pilulas præbui, & partes affectas fomento diligentiſſime feci foveri.

Eadem veſpera remiſerunt dolores, & miſer ſponte cœpit dormire.

Altero die jam multa fruſta putrida ſeparabantur, penis detumuit, nec tantus fœtor amplius aderat.

Tertio die omnia iterum fuerunt meliora.

Quarto die in omnibus cancroſis ulceribus pus bonum erat, penis plus quam dimidiam partem ſuæ magnitudinis amiſit, teſticulus quoque minor & mollior fuit, ulcera habuerunt pulchrum colorem, æger ſine parigorico dormivit, & cœpit appetere.

Octavo die penis ad naturalem fere magnitudinem rediit, partes cancroſæ erant multum emendatæ, pus ubique bonum eſſe continuavit, ex ſcroto magna fruſta ſeceſſerunt, teſticulus fuit mollis, & vix amplius ovum magnitudine adæquavit.

Duodecimo die omnia iterum erant meliora.

Decimo octavo die nil cancroſi amplius videri potuit; teſticulus naturalem molem & mollitiem re-

recuperavit, & illud, quod cancroſo ulcere depaſtum erat, recreſcere viſum eſt.

Scroti labia, optimi coloris, coire cœperunt; in pene, loco cancroſarum excreſcentiarum, jam plana & puriſſima ulcera inveniebantur.

Omnes ægri actiones multo erant meliores, vires majores.

His igitur pilulis (eadem ſemper doſi) & fomento ex cicuta in trigeſimum diem continuavi, & tunc ſcrotum erat integre ſanatum, & ulcera penis multo minora, nitida.

Æger autem quotidie circa veſperas ingrato pruritu per totum corpus vexabatur; hinc ne quid venerei, intra ſanguinem latitantis, alias triſtes tragædias luderet, remediis antivenereis reliquam curam perfeci.

Hoc in caſu pilulæ & fomentum plus præſtiterunt, quam ſperare unquam licuiſſet.

Doctiſſimus caſtrenſis medicus *Kollman*, Dominus *Leber* chirurgus noſocomii civici, *Frater Abdon* chirurgus apud fratres miſericordes in Leopoldina, aliique mi in hac arte amici, quos ad hunc ægrum videndum adduxi, celeres & vix ſperandos effectus vehementer ſunt mirati.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

FOEmina (36. ann.) ex cauſa ignota binas in colli parte ſiniſtra fiſtulas habuit, quæ tam numeroſos & mirabiles ſinus produxerunt, ut dexterrimus Dominus *Haffner* Stylo ſuo ad linguam, ſternum, & inter æſophagum & aſpe-

ram arteriam ad oppoſitam colli partem potuerit penetrare; & quod magis erat mirandum, hi ſinus per totum thoracem diſtribuebantur.

Etenim dum in fiſtulas arte chirurgica injectiones fiebant, ſenſit ægra, eas ex parte anteriore ad ſcrobiculum cordis, ex poſteriori autem ad lumbos uſque penetrare.

Quod optimus chirurgus facile credidit, nam, ut hi ſinus replerentur, ſex unciis materiæ injiciendæ plerumque opus fuit.

Ad hoc malum percurandum tentavimus omnia, quæ nobis videbantur congrua, & quæ autores optimi ſimili in caſu commendarunt.

Verum omni omnino effectu caruimus, & poſtquam per integros ſex menſes variis decoctis, injectionibus, fomentis, aliiſque remediis miſeram fruſtra divexavimus, acceſſerunt ingentes dolores, & corpus cœpit contabeſcere.

Qua de cauſa ego & Dominus *Haffner* concluſimus herbam cicutæ in hoc ſubjecto tentare.

Totum igitur collum & dorſum fomento ex cicuta involvimus.

Bis quotidie Dominus *Haffner* in has fiſtulas & ſinus vi leniſſima tenue infuſum cicutæ injecit.

Ægra vero mane & veſperi ſumpſit ſex pilulas.

Primo ſtatim die dolores mitigabantur, & ægra ſine opio dormivit, quod ante nunquam factum erat.

Tertio die advertit chirurgus has fiſtulas jam minorem injectionis copiam recipere.

De-

Decimo die ægra bene habuit, & omnia videbantur ſanari.

Decimo quarto die vix amplius binæ unciæ poterant injici.

Ægra in dorſo tenſiones, ad ſternum ardorem & in faucibus ſiccitatem conquerebatur.

Hinc ſuaſi, ut chirurgus ab injectione infuſi cicutæ abſtineret, & ſolum decoctum hordei cum melle roſaceo leniſſima manu injiceret.

Hoc facto, intra octiduum omnia ſanata ſunt, & fiſtulæ firmas egerunt cicatrices.

Hæc fœmina dein adhuc ſex ſeptimanis in noſocomio morata eſt, & nequaquam vidimus malum recrudeſcere.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

VIR, cui ax quartana, ſubito ſuppreſſa, durities, unam ſpithamam longa, & ſemi ſpithamam lata, ex anteriore abdominis parte nata eſt, his ſolis pilulis, & interpoſitis quandoque purgantibus, ſpatio quatuor menſium in noſocomio integre curatus eſt.

Binos adhuc ſimiles caſus in meo noſocomio habui, quorum curatio his pilulis optime ſucceſſit.

Imo eædem pilulæ ſcirrhum hepatis ſolverunt, & inde natum icterum fugarunt; verum copioſum ſerum lactis ſimul potabatur.

Dum autem poſt febres intermittentes lien inflatur, & ſubſtantia ejus ſpongioſa redditur, tunc ſimiles pilulæ ad curationem parum conferunt; neque alia medicamenta juvant.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

IN viro quinquagenario, ex cataracta in ambobus oculis cæco, & in meo noſocomio ex acuta convaleſcente, pilulæ hæ tantum effecerunt, ut intra duos menſes non modo ſolus ambulare, ſed & objecta, & colores potuerit diſtinguere.

CASUS DECIMUS NONUS.

VIRGINI, 22. ann. ex incipiente in utroque oculo cataracta, viſus adeo debilis factus eſt, ut jam citra ſummam adtentionem vix amplius ſola incedere potuerit.

Ex uſu autem harum pilularum intra binos & dimidium menſes cataractæ penitus diſpulſæ ſunt, & viſus adeo bonus rediit, ut jam fila per ſubtiliſſimarum acuum foramina ducat, & neat accuratiſſime.

Dominus *Leber* hanc Virginem ad *Illuſtriſſimum* VAN SWIETEN adduxit, ut *Ipſe* hiſtoriam audiret, & videret effectum.

CASUS VIGESIMUS.

FOEmina, 25. ann. ſtrumam ſcirrhoſam habuit, quæ non tantum anteriorem colli partem occupavit, ſed & in cavum pectoris penetravit, & reſpirationem fecit difficilem.

Uſu

Uſu harum pilularum, ſpatio quatuor menſium ſtruma partim ſuppuratione, partim benigna reſolutione conſumpta eſt, & reſpiratio reddebatur liberrima.

Simul ſanatum eſt profundum & malignum in femore ſiniſtro ulcus, quod hucuſque omnium medicamentorum viribus repugnavit, & diligentiſſimum mei noſocomii chirurgum *Haffner*, ultra ſemi annum defatigavit.

Hæc ſunt experimenta, quæ ego integro cum ſucceſſu inſtitui; alia quidem plura poſſem recenſere, verum, quoniam ad finem perducta non ſunt, ea potius ſilentio prætereunda putavi.

Ne autem mea ſolummodo tentamina adducantur, & ne ego ſolus *Cicero* pro domo mea videar, alia quoque, a *viris* in arte digniſſimis facta, paucis juvabit enarrare.

Erant tres ſorores, quarum binæ a glandulis colli tumidis & ſcirrhoſis ſuffocatæ ſunt, tertiam autem *Illuſtriſſ. noſtræ Facultatis Præſes Baro* van Swieten his pilulis ſervavit, reſtituit.

In ſimili caſu, ubi omnia fere artis auxilia fruſtra ſunt exhauſta, & ubi ipſa vis electrica ſine effectu fuit adhibita, *Perilluſtris* ac *celeberrimus Archiater* Kestler ex uſu harum pilularum egregium quoque effectum habuit; & nullum unquam malum ſymptoma obſervavit, longo licet tempore quotidie ægræ ſuæ triginta pilulas, quarum quælibet duorum granorum fuit, exhibuerit.

In noſocomio militari, hic Viennæ in Leopoldina ſito, erat miles, cui ex parotide dextra ſcirrhus tantæ molis excrevit, ut totam ejus lateris faciem ad oculum uſque occuparit.

Scir-

Scirrhus hic ſummo dolore, colore livido & ſubnigro, aliiſque peſſimis ſignis tetrum cancrum minitabatur, & inde timendam tabem.

Doctiſſimus medicus caſtrenſis *Joannes Collmann*, qui huic noſocomio præerat, meas pilulas tunc in uſum vocavit, & externe appoſuit fomentum ex cicuta.

Quo facto, non ſolummodo cancri minas brevi ſuppreſſit, ſed & tumorem ſcirrhoſum fere totum intra aliquot ſeptimanas diſſipavit.

Bonus miles, exiguas ſcirrhi reliquias flacci faciens, jam non amplius in noſocomio morari voluit, unde cæteroquin ſaniſſimus adivit exercitum.

Nobiliſſima matrona occultum cancrum in ambabus mammis per tres annos celavit.

Tandem dolores facti ſunt nimium vehementes, hinc inde in mammis tubera livida prodierunt, quæ peſſimam cancri exulcerationem præſagiebant.

His commota Expertiſſimum hujus civitatis medicum practicum *Joſephum Pöck* advocavit, eique ſuum malum detexit; qui his viſis ſtatim concluſerat meas pilulas adhibere; quibus id effectum eſt, ut intra tres ſeptimanas non tantum omnes dolores ceſſaverint, ſed & color ſubniger, & lividus diſparuerit, redieritque color naturalis.

Poſt aliquot dies tubera receſſerunt.

Seſqui menſis ſpatio mammarum durities in ſuperficie cœpit molleſcere.

Poſt binos menſes magna duritiei portio in minores moleculas dividebatur, quæ dato purgante evanuerunt, & mammarum moles imminuta eſt.

Hæc matrona, viſo tam præclaro effectu, diligentiſſime & ſumma cum confidentia has pilulas

las aſſumpſit; atque teſtata eſt, quod non tantum in mammis ſentiret levamen, ſed quod etiam a vomitu & cardialgia, qua antehac aliquoties de die vexabatur, ut & a doloribus rheumaticis, quibus frequenter fuit ſubjecta, ex uſu harum pilularum eſſet libera.

Optimo in progreſſu hujus experimenti morbus acutus inflammatorius ſupervenit, qui lethalis fuit.

Sanguis, in morbo acuto aliquoties e vena miſſus, ſemper lardaceus, & valde denſus fuit; hinc non eſt, cur quidam timeant, has pilulas ſanguinem in putridum liquamen convertere.

Per plures ſeptimanas hæc matrona quotidie triginta pilulas aſſumpſit, nec unquam quid mali inde conqueſta eſt.

Ferdinandus Leber, chirurgus noſocomii civici, qui non ſolum ob egregiam ſuam in chirurgia experientiam & dexteritatem, ſed & ob promptum erga pauperes æque ac divites officium ſummopere eſt laudandus, his pilulis multa quoque experimenta fecit.

Pertinaciſſimos ſcirrhos in diverſis corporis partibus reſolvit.

Cancros plurimos non modò in mammis ſed & in facie, ad oculos, naſum, &c. emendavit, & quoſdam integre curavit.

Omnes ſuos ægros ſub cura Illuſtriſſimo VAN SWIETEN oſtendit, ut *Is* certus eſſet de effectu.

Idem *Leber* in varris oculorum vitiis has pilulas bono cum effectu adhibuit, in malis autem inveteratis plerumque fruſtra fuit. Tentare tamen licet.

Nihilominus mecum obſervavit Dominus *Leber*, quod omnes ii, qui in cataracta, aut alia humorum in oculis inſpiſſatione his pilulis uſi ſunt, ſub uſu pejores non ſint facti, licet curam non receperint.

Hinc ſimilibus malis hæ pilulæ ſaltem limites ponunt, & experientia docuit, quod tunc binæ, mane & veſperi ſumptæ, ſufficiant.

Effectus autem quandoque valde tardus eſt, & tertio quartove menſe primo fit ſenſibilis; hinc non ilico eſt deſperandum, ſi intra paucas ſeptimanas ab his pilulis nil mutatur.

Dum hæc ſcribo, me accedit fœmina (30. aliquot ann.) quam doctiſſimus ac dexterrimus noſocomii ad S. *Marcum* chirurgus *Rechtberger* tribus abhinc menſibus ad me miſit.

Hæc ab aliquibus annis ſcirrhum in mamma ſiniſtra habuit, qui uſu diverſorum medicamentorum cœpit vehementer dolere, & minitari cancrum.

Re bene conſiderata ſtatim ter de die exhibui tres pilulas.

Intra paucos dies ſedabantur dolores, ſcirrhus autem immutatus perſtitit.

Senſim pilularum doſin auxi; donec ægra octodecim per diem aſſumpſit; hac ratione in undecimam ſeptimanam continuatum eſt; & tunc nullam adhuc mutationem in ſcirrho inveni.

Hinc ego de effectu dubitavi; ægra tamen contenta, quod dolores ſilerent, pilulis diligentiſſime uſa eſt.

Decima tertia ſeptimana ſcirrhus cœpit emolliri, in partes dividi, & tam ſubito fundi, ut ſpatio decem

decem dierum vix amplius $\frac{1}{12}$ ſuperſit, & quod ſuperſtes tangitur, molle eſt, & paſtaceum.

CAPUT III.

COROLLARIA.

Corollar. 1.) EX his colligitur, e ſucco cicutæ, lento igne inſpiſſato, parari remedium maxime innocuum, quod in omni temperamento, ætate, ſexu, &c. ad ſatis magnam doſin poteſt exhiberi.

Corollar. 2.) Hoc remedium nullam corporis actionem, ſecretionem aut excretionem turbat.

Corollar. 3.) Agit modo inſenſibili, nec alvum, nec vomitum, nec urinam, nec ſudorem movet.

Corollar. 4.) Indurata & ſcirrhoſa in iis etiam caſibus reſolvit, ubi alia medicamenta, maxime penetrantia, nihil efficiunt.

Eſt igitur medicamentum ſumme reſolvens.

Corollar. 5.) Quæ non reſolvit, ea plerumque ad benignam ſuppurationem redigit.

Corollar. 6.) Cancro ponit limites.

Corollar. 7.) Acre cancroſum emendat, fœtorem diſpellit.

Corollar. 8.) Ichorem cancroſum in bonum pus convertit.

Corollar. 9.) Sedat dolores.

Corollar. 10.) Cancrum curat.

Corollar. 11.) Ulcera alias inſanabilia ſanat.

Corollar. 12.) Fiſtulas & ſinus, ad omnia alia remedia rebelles, claudit, conſolidat.

Corollar. 13.) Tumores œdematoſos uſu externo diſſipat.

Corollar. 14.) Viſum, cataracta nondum inveterata, demptum quandoque reſtituit.

Corollar. 15.) Incipientes cataractas aut ſolvit, aut earum progreſſum ſaltem impedit.

MONITA.

Uſus docuit:

I^mo. FOEminas, quæ ſcirrho aut cancro in mammis laborant, omne manuum exercitium, & celeriorem corporis motum debere evitare.

2do. Aërem tamen ruſticanum, & leniorem in illo motum curam accelerare.

3^tio. Nocere iram, triſtitiam, & ſubitum terrorem.

4to. Nocere acida, vinoſa, auſtera, & farinacea, cruda, non fermentata.

5to. Nocere in ſcirrho inveterato, & cancro omnem adtritum, frictionem, & preſſionem.

Hinc duræ & anguſtæ thoraculæ, & aſpera induſia ſunt vitanda.

6to. Nocere violentam tuſſim: etenim ea cancrum excitat, aut reddit pejorem, producit hæmorrhagias, vires debilitat, & hac ratione curam retardat, & fere impoſſibilem facit.

Fœ-

Fœminæ, quæ difficilem habent reſpirationem, & anhelant, atque inter tuſſiendum in cancroſa aut ſcirrhoſa mamma acutiſſimos dolores ſentiunt, mammamque quaſi chorda violentiſſime conſtringi & tuſſi intra pectus trahi putant, plerumque habent pulmones ſcirrhoſos, & ea in parte cum pleura firmiſſime concreto.

Hinc cura difficilior & fere impoſſibilis.

Experientia didici has pilulas phthiſicis nullo modo obeſſe, nec impedire ſputa, ſed ea potius promovere.

QUÆSTIONES,

IN multis caſibus ſolum ſuccum cicutæ in pilulas redactum hucuſque tentavi, ut hoc modo accurate experirer, quid hic ſolus & ſimplex poſſet præſtare.

Verum quandoque vidi effectum eſſe celerem, quandoque admodum tardum: unde quæriter an in tarda hujus medicamenti actione non poſſit externis remediis effectus diverſa ratione accelerari?

Queſtio 1ma. An non conveniret aliquoties per diem ad partem affectam calidos vapores decocti cicutæ adplicare?

Queſtio 2da. An fors eſſet utilius, ſi cataplaſma ex cicuta paratum læſis partibus continuo applicaretur?

Plura experimenta demonſtrarunt ſimile fomentum in his circumſtantiis valde utile eſſe.

Sunt

Sunt tamen ægri, qui hoc nudæ cuti applicatum ferre non poſſunt, hinc:

Queſtio 3tia. An non præſtaret horum ægrorum cutim emplaſtro diapompholygos tegere, & tectam tali cataplaſmate fovere?

Queſtio 4ta. An, dum ſcirrhum adhuc irritare licet, non prodeſſet, ſi emplaſtrum de cicuta, de ladano, aut de galbano apponeretur?

Queſtio 5ta. An non requiritur, ut ſub uſu pilularum ægris, quorum vires id fere videntur, ſæpius detur purgans? etenim materies ſoluta, nulla ſenſibili evacuatione, educitur.

Tentamina, circa hanc quæſtionem in aliquibus ægris facta, ſimile quid ſuadere videntur; interim tamen neceſſitas id non poſtulat.

Queſtio 6ta. Si caſus obvenirent, in quibus acre cancroſum admodum profundas egit radices; omneſque humores corrupit, & ſolida adeo debilitavit, ut hæ pilulæ ſolæ haud ſufficerent; an tunc non oporteret corticem peruvianum his jungere? ut hac ratione ex utriuſque virtute pararetur medicamentum, quod omni indicationi faceret ſatis.

Neceſſe eſt igitur ut quivis medicus ſymptomatibus ſupervenientibus ſingulari ſua induſtria & judicio obveniat.

His præmiſſis, jam omnes & ſingulos medicos oro, ut hoc extractum, quacunque data occaſione, tentent & adhibeant; ſed obſecro ſimul, ut omne præjudicium omneque invidiarum genus deponant: etenim cogitent ſimilia ſalutem proximi adtinere.

Si

Si ex uſu quid ſiniſtri experiantur, inquirant ſedulo, an id ex nimia mali vehementia? an ex errore, ab ægro aut adſtantibus commiſſo? an ex ipſo medicamento proficiſcatur? Nec ilico ſine omni judicio & diſquiſitione remedium, tanquam nocivum aut iners, condemnent; ſi vero noverint meliora, ea non vellem, in favorem hujus remedii, negligerent.

FINIS.

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ, CÆSAR. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII AULICI, ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO PAZMARIANO PHYSICI,

LIBELLUS SECUNDUS,

QUO CONFIRMATUR:

CICUTAM

NON SOLUM USU INTERNO TUTISSIME EXHIBERI, SED ET ESSE SIMUL REMEDIUM VALDE UTILE IN MULTIS MORBIS, QUI HUCUSQUE CURATU IMPOSSIBILES DICEBANTUR.

JUXTA EXEMPLAR VINDOBONENSE.

LONDINI,
APUD T. BECKET & P. A. DE HONDT.

MDCCLXI.

AUGUSTISSIMÆ

ROMANORUM

IMPERATRICI

MARIÆ THERESIÆ,

&c. &c. &c.

DOMINÆ,

SUÆ CLEMENTISSIMÆ

ANTONIUS STÖRCK.

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX!

SUmma TUA *Clementia, qua primum de cicuta libellum accepiſti, me incitavit ad hunc laborem ulterius continuandum, perficiendum.*

Nova itaque tentamina cum eadem planta inſtitui, morborum hiſtorias & curationes magna diligentia adnotavi, & ex his ſecundum hoc volumen compoſui.

Valde utilia continentur, & demonſtratur evidenter: poſſe diriſſimos morbos ſola cicuta levari, curari.

Multi nunc ſervantur ægri, qui ſine hoc remedio interiiſſent.

Cum vero omnia TIBI AUGUSTISSIMA DOMINA! *ſint grata, quæ in emolumentum reipublicæ fiunt, ſpem habeo: fore, ut & hocce opuſculum,* TUÆ MAJESTATI *ſacrum, benigne recipias.*

PRÆFATIO.

QUO ſæpius cicutam ægris exhibeo, eo majorem ſemper in hac planta virtutem & efficaciam admiror.

Innumeri fere ſunt morbi, in quibus optime convenit, conducit.

Nihilominus nequaquam opus eſt, ut multa cicutæ encomia hic recitem, cum ipſa experimenta, accuratiſſime inſtituta, loquantur.

Gratu-

Gratulabar mihi frequenter, & gaudebam multum, dum vidi, ægros ab aliis pro perditis habitos jamque fato relictos, mea cicuta revixiſſe, & convaluiſſe integerrime.

Quidne homini ſanitate charius?

Impendam propterea omne tempus, quod mihi a labore neceſſario ſuperfuerit, ad eruenda & detegenda talia remedia, quæ morbos graves & curatu ſumma difficiles debellarent, fugarent.

Nec inani felicis ſucceſſus ſpe alor.

Nil tamen, quod temerarium foret, audebo: ſed omnia & in brutis & in me experiar, antequam ea homini ægrotanti præbuero.

Et hac ratione ero tutus, ſecurus.

CAPUT I.

VAriæ inter Medicos & Botanicos ortæ ſunt lites de cicuta, quam ego ad extractum faciendum adhiberem.

Deſcriptionem ex *Moriſono* dedi, ſatis claram.

Hinc tantum paucis nunc adnoto: meam cicutam eſſe *cicutam majorem, vulgarem, maculatam, fœtentem.*

Linæus eam habet ſub nomine *conii* ſeminibus ſtriatis. Vide ſpecies plant. pag. 243. N. 1.

Mathiolus eam deſcribit pag. 772.

C. Bauchin. pag. 160. *Tabern.* p. 1170.

Cicutariam majorem, vulgarem eam vocat *Cluſius* hiſt. 2. p. 200.

Ad extractum faciendum optime colligitur, antequam pandantur flores.

Radix autem ad extractum non adhibetur; verum reliqua tota planta.

Succus expreſſus in vaſe terreo, vitrato, lento igne, & ſæpius agitando coquitur ad ſpiſſi extracti conſiſtentiam.

Rogo autem, ne pharmacopœi nimium ſint ſolliciti in depurando hoc ſucco; amo enim potius, ut ſit craſſum, fere pulpoſum extractum.

Ex decocto herbæ ſiccæ poteſt quidem parari extractum, dum ex recenti haberi non poteſt.

Verum longe minus efficax eſt.

Doleo ſummopere, centenas aliquot libras extracti cicutæ, ex herba ſicca parati, me inſcio, Vienna in alias regiones eſſe tranſmiſſas; etenim effectus neque adeo bonus, neque ita velox eſſe poteſt, ut ab extracto ex ſucco, recenter expreſſo, parato.

Hæc herba omnibus Pharmacopœis erat ſuſpecta, viroſa; hinc ſub initium nolebant ſufficientem, quam petii, copiam, parare.

Dum vero viderunt, pilulas in omnes regiones deſiderari, defecit eis herba recens.

CAPUT II.

CASUS PRIMUS.

ANcilla, 22. annorum, a primis ſuæ ætatis annis ſcirrhoſis glandularum circa aures & maxillam tumoribus laboravit; quinquennio autem abhinc oriebatur tumor magnus, qui ſe ex gena ſiniſtra per totum ejuſdem lateris collum uſque ad claviculam extendit, & ſemper lapidis inſtar durus & indolens fuit.

Ultimo triennio hicce tumor mole caput viri ſenſim adæquavit. Glandulæ ſubaxillares quoque induratæ ſunt. Præterea dextrum colli latus quindecim ſcirrhi, quorum minimus ovo gallinaceo par erat, occuparunt, mamma utraque ſcirrhoſa quoque facta eſt.

Quamvis hæc fœmina eſſet valde defœdata, luem tamen veneream contraxit.

Deferebatur ideo ad noſtrum noſocomium.

Decoctis antivenereis, & purgantibus, dulci mercurio miſtis, morbum tunc aggreſſus fui, unde quædam luis venereæ ſymptomata mitiora fiebant.

Quum autem hæc cura nimium tarda mihi videbatur, dedi mercurium ſublimatum corroſivum, in ſpiritu frumenti ſolutum, præter decoctum ſaturatum & copioſum radicis bardanæ.

Hac ratione morbus venereus ſpatio quinque ſeptimanarum optime curatus eſt.

Verum circa tumores ſcirrhoſos nil mutatum fuit, niſi: quod in mamma dextra major dolor adverteretur.

Curata igitur lue venerea ad ſcirrhos diſſolvendos volui tranſcendere, aſt fœmina noluit amplius in noſocomio morari, firmiſſime perſuaſa, quod nullum foret medicamentum, quod tumores adeo magnos & annoſos ſolveret.

Quapropter dimittebatur. Verum vitæ lubricæ aſſueta ſibi ſufficienter cavere non potuit, unde in crimine deprehenſa, ad carceres ducebatur.

Incidit tunc in febrem continuam, & denuo ad noſtrum noſocomium tranſlata eſt.

Sumtis remediis antiphlogiſticis intra quindecim dies ex hoc morbo convaluit.

Amavit poſtea potius remanere in noſocomio, quam iterum ad carceres deduci.

Hinc optimam nactus ſum occaſionem cicutæ vires experiundi.

Externe in principio nil adplicui, ut viderem: an uſu ſolo interno in hos pertinaces tumores cicuta quid poſſet.

Propinavi mane & veſperi pilulas quatuor, quarum quælibet habuit pondere grana duo.

Poſt quinque dies, jam omnes tumores erant magis mobiles, & tumor magnus ex latere colli ſiniſtro tangebatur multo mollior.

Vidi igitur, cicutam ſolo uſu interno eſſe admodum efficacem, & præſtare talia, quæ a fortiſſimis mercurialibus nequaquam poterant effici.

Ut tamen curationem facerem celeriorem, externe omnes tumores emplaſtro de cicuta texi, & huic impoſui cataplaſma ex herba cicutæ paratum, auxique doſin pilularum.

Decimo die tumor magnus erat multo minor, mollior, idem in utraque mamma vidi.

Reliqui autem ſcirrhi, quamvis molliores, minores tamen facti non ſunt, & erant in ſuperficie inflammati, dolentes.

Decimo ſeptimo die tumor in parte colli ſiniſtra erat multo minor, mamma utraque mollis, mobilis, reliqui plurimi ſcirrhi in ſuppurationem abire cœperunt.

Ægra ſumſit ſex pilulas mane & totidem veſperi, quarum quælibet habuit grana quatuor.

Vigeſimo quarto die quidam ſcirrhi jam erant in pus ſoluti, cutis tamen arte non ſcindebatur, quoniam rupturæ erat proxima.

Colli tumor, & mammæ erant multo minores.

Sequentibus

Sequentibus diebus, quidam tumores rupti ſunt, & fuderunt pus bonum, copioſum; nihilominus emplaſtrum de cicuta & cataplaſma ſedulo applicata ſunt.

Trigeſimo ſexto die in aliquibus locis omnis tumor abfuit, & quibuſdam in partibus cutis rupta jam iterum cœpit coaleſcere, colli & mammarum ſcirrhoſi tumores $\frac{2}{3}$ erant diminuti.

Dedi dein quater per diem pilulas quinque, granorum quatuor, nec amplius auxi doſin.

Et hac ratione uſu emplaſtri, & cataplaſmatis de cicuta, & uſu extracti cicutæ ſpatio trium fere menſium hæc fœmina integre curata fuit. Collum & mammæ redierunt ad ſtatum naturalem, & fœmina, antehac turpis & difformis, ſat formoſa facta eſt.

Menſes debito tempore & ſufficienti copia ſemper fluxerunt, & iis fluentibus medicamenta cum euphoria continuata ſunt.

Bis toto curationis tempore datum eſt purgans antiphlogiſticum, quoniam alvus erat ſegnis.

Uſu extracti cicutæ nullæ prorſus in corpore turbationes obſervatæ ſunt, ægra ſemper appetiit, robuſta fuit, nec de ullo dolore conquerebatur.

Lætabar multum, dum vidi morbum adeo rebellem & pertinacem ſola cicuta facillime eſſe curatum.

Et quum toto curationis tempore hæc ægra honeſte & pie ſe geſſit, promiſitque talis vitæ perpetuam continuationem, feci, ut adhuc in

noſocomio

noſocomio ſui criminis abſolveretur, & donaretur libertate.

CASUS SECUNDUS.

Foemina, 36. annorum, ad noſtrum noſocomium ſuſcipitur propter mammæ ſiniſtræ tumorem ingentem, & duritiem valde dolentem.

Dum mammam bene conſideravi: inveni eam capite infantis multo majorem, duram, immobilem, in tubera livida, ſubmollia & admodum dolentia elevatam, venæ erant varicoſæ, & brachium ſiniſtrum tumuit, & præ dolore non potuit moveri.

Externe tunc molliſſima linteamina applicui, ut omnis affrictus evitaretur, interno pro remedio dedi extracti cicutæ mane & veſperi grana duodecim præter infuſum hederæ terreſtris.

Quarto die, quo hæc ægra his remediis utebatur, mamma tota fuit mollior, aſt tubera erant majora, & ichorem ſudarunt. Dolores præterea fuerunt magni, & noctes debebant opio pacari.

Septimo die eadem erant ſymtomata, dedi tunc mane & veſperi extracti cicutæ grana octodecim.

Nono die tria mammæ tubera rupta ſunt, & exiit materies ſubfuſca, copioſa, fœtens, & mammæ moles concidit, & dolores remiſerunt.

Undecimo die copioſus ichor fœtidus effluxit,

it, dolores autem erant mites, color mammæ rutilus, nullus aderat livor.

Dedi mane & veſperi ſcrupulum unum extracti cicutæ.

Decimo quarto die ulcera dederunt copioſiſſimum ichorem; mammæ moles fuit minor, ægræ autem vires multum diminutæ ſunt, ſubinde advertebatur horror per totum corpus, & ſubſequebatur pulſus celerior, ſitis & calor.

Diminui igitur doſin extracti, & tantum grana decem mane & totidem veſperi exhibui; verum dedi præterea corticis peruviani ſelecti drachmam unam omni trihorio diei.

Decimo ſexto die horrores erant minus frequentes; ichoris loco prodiit pus, vires autem manſerunt adhuc debiles, & ægra ſitivit. Iiſdem remediis adhucdum continuavi.

Vigeſimo primo die nullus amplius horror advertebatur, vires auctæ ſunt, & rediit appetitus, pus ex mamma profluens erat bonum, mammæ color fuit fere naturalis. Tumor autem ſuperſtes erat adhuc valde durus, nequaquam vero dolens.

Eadem ratione adhuc per ſex dies continuavi, verum omnia manſerunt in eodem ſtatu. Unde vigeſimo ſeptimo die, dedi iterum mane & veſperi grana octodecim extracti cicutæ, & bis per diem drachmam unam corticis peruviani, externe autem tunc applicui cataplaſma ex lacte & cicuta paratum, & mammæ cavitates linteis carptis, infuſo cicutæ madidis, repletæ ſunt.

Trigeſimo

Trigeſimo ſexto die vires erant bonæ, color mammæ naturalis, in ulcere pus bonum, appetitus magnus, ſomnus tranquillus. Abſtinui a cortice peruviano, & ſola cicuta iterum uſus fui. Dedi mane & veſperi ſcrupulum unum extracti cum aliquot unciis infuſi flor. ſamb. fol. veron. heder. terreſt.

Quinquageſimo die moles mammæ fuit multo minor, pus bonum, dolor autem erat ſubinde adeo acutus, ut noctes, dato licet opio, inquietæ fuerint.

Verum obſervavi poſt magnos tales dolores copioſiſſimum ſerum ex ulcere fluxiſſe, & tumoris molem eſſe imminutam.

Dedi tunc drachmam extracti cicutæ per diem, externis fomentis ex cicuta ſedulo continuavi.

Sexageſimo quarto die mammæ ulcus copioſiſſimum ſerum fudit, labia autem, quæ hucuſque erant valde rebellia, craſſa, calloſa, reflexa, cœperunt emolliri, fundi, & partim pure conſumi, vires manſerunt bonæ.

Auxi extracti doſin, & exhibui quotidie grana octuaginta.

Mammæ ulcus copioſiſſimo ſero ſemper ſtillavit, pus autem bonum tunc viſum non eſt; verum neque fœtor obſervabatur.

Septuageſimo die ægra ſiccitatem pectoris, & tuſſiculam inanem conquerebatur, mammæ autem & labiorum moles multo minor fuit, dolores per vices erant admodum vehementes, & vires iterum decreſcebant, & aderat ingens fœtor.

De-

Denuo igitur ad corticem peruvianum confugi, & dedi quotidie unciam dimidiam corticis, & drachmam dimidiam extracti cicutæ.

Præterea juſſi, ægra biberet copioſum ſerum lactis aut decoctum ſaturatum radicis althææ, glycyrrhizæ.

Labia texi emplaſtro de cicuta, ulcus autem implevi infuſo leni cicutæ, cujus libræ uni addebantur drachmæ duæ aceti lithargyrii.

Vires ſenſim iterum auctæ ſunt, tuſſicula deſiit, nimius ichoris fluxus minuebatur, & pus in ulcere bonum comparuit, dolores autem ſubinde erant vehementes, & ſomnus debebat opio conciliari.

Octuageſimo quarto die ægra ſat bene ſe habuit, labia ulceris erant minora, mobilia, doloris expertia, ulcus mammæ mundum, durities minor, dolores exigui, vires ſufficientes, appetitus bonus.

Dedi tunc ſcrupulos duos extracti cicutæ per diem & drachmas duas corticis peruviani præter copioſum ſerum lactis, & decoctum emolliens; externa remedia non ſunt mutata.

Nonageſimo die mammæ moles fuit multo minor, labia læte rubebant, & erant flaccida, ulcus dedit pus bonum.

A cortice peruviano tunc abſtinui, & dedi drachmam integram extracti cicutæ.

Centeſimo die omnia iterum erant meliora, pus bonum, vires ſufficientes, noctes tranquillæ.

Dedi dein ſcrupulos quatuor extracti cicutæ, & reliqua omnia ſedulo continuata ſunt.

Centeſimo decimo quarto die labia erant

ſordida, copioſum ſerum ex ulcere fluxit; verum mammæ moles fuit minor, dolores pauci, vires bonæ.

Dedi drachmam unam & dimidiam extracti cicutæ per diem, toti autem ulceri & labiis impoſui cataplaſma ex cicuta paratum.

Intra quatuor dies ex labiis magna fruſta ceciderunt, ulcus dedit copioſiſſimum ichorem, unde mammæ & labiorum tumor citiſſime diminutus fuit.

Verum ægræ vires proſternebantur, & nova iterum febricula orta eſt, & ſæpius advertebantur horripilationes.

Hinc dedi iterum corticis peruviani unciam dimidiam per diem, & ſcrupulum unum extracti cicutæ, labiis impoſui emplaſtrum de cicuta, & ulcera replevi linteis carptis infuſo leni cicutæ & aceto lithargyrii madidis. Præterea ſerum lactis copioſum, & decoctum radicis althææ & glycyrrhizæ datum eſt.

Centeſimo trigeſimo die paucum ex ulcere ſerum prodiit, pus autem bonum aderat & copioſum, labia erant parva, rutila, indolentia, vires meliores.

Eadem tamen corticis doſi continuavi, cicutæ autem extracti drachmam dimidiam exhibui, remedia externa adhuc eadem adhibebantur.

Centeſimo trigeſimo ſexto die omnia erant meliora, vires bonæ, noctes tranquillæ.

Corticis peruviani doſin tunc diminui, & dedi drachmas duas, extracti autem cicutæ dedi drachmam unam cum copioſo ſero lactis, externa remedia continuata ſunt.

Cen-

Centeſimo quadrageſimo ſecundo die ægra bene habuit, labia fundebantur, & mera ſpongioſa ſubſtantia videbatur ſupereſſe.

Reliqui tunc corticem peruvianum, & ſolo extracto cicutæ, & copioſo ſero lactis uſus ſum, externe eadem remedia applicui.

Centeſimo quinquageſimo die omnia iterum erant meliora, minora, pus in ulcere bonum, vires bonæ, dedi ſcrupulos quatuor per diem de extracto cicutæ, & externe cataplaſma ex ſola cicuta applicui.

Centeſimo ſexageſimo die labia fuerunt exigua, fere cuti æqualia, durities fere omnis evanuit, vires conſtabant, dolores vix obſervabantur.

Dedi drachmam unam & dimidiam extracti quotidie, & cataplaſma ex cicuta ſedulo appoſui per diem, noctu autem emplaſtrum de cicuta.

Centeſimo ſeptuageſimo die ulcus erat planum, omnis enim tumor, omnis durities abiit, labia erant penitus conſumta.

Per triduum adhuc applicui cataplaſma ex cicuta, & eandem extracti doſin continuavi.

Dein vero, quum omne durum eſſet conſumtum, & quoniam copioſum ſerum ex ulcere, quamvis puro, fluxit, externe tantum applicui lintea carpta leniſſimo infuſo cicutæ madida, interne autem dedi ter de die drachmam dimidiam corticis peruviani, & mane ac veſperi grana ſex extracti cicutæ, juſſi præterea, ut copioſum ſerum lactis ægra biberet.

Glandulæ ſubaxillares, quæ etiam erant ſcirrhoſæ, eodem fere tempore evanuerunt, tria tantum ſupererant tubercula, piſo fere æqualia.

Brachium, quod prius præ dolore moveri non poterat, jam erat ſatis mobile, & vires bonæ.

Sexto die cœpit ex margine ulceris cuticula alba prodire, quæ ſe ſe ſenſim verſus centrum extendit, promiſitque ulceris conſolidationem.

Decimo quarto die uſu eorundem tum externorum quam internorum remediorum, ulcus tenui cuticula jam fere clauſum erat; verum hæc cuticula hinc inde iterum rumpebatur, & exſtillavit ſerum acre.

Dedi igitur purgans ex rhei drachma dimidia, ex ſcammonii granis octo, & ex quindecim granis ſalis polychreſti.

Alvus inde ſexies copioſe mota eſt, & ægra bene habuit.

Altero a purgatione die eandem iterum doſin corticis peruviani, & extracti cicutæ exhibui, & externe adhuc leniſſimum cicutæ infuſum applicui.

Nata eſt firmior cuticula, quæ tamen hinc inde adhuc erodebatur a materie acri tranſſudante.

Hinc poſt octiduum idem purgans ægræ iterum datum fuit.

Dein vero corticem peruvianum & cicutæ extractum in eadem doſi continuavi, & externe applicui unguentum nutritum.

Spatio viginti dierum firma nata eſt cicatrix & mammæ nullum ſupererat veſtigium, atque

atque omnes, qui hanc fœminam viderunt, credebant, mammam fuiſſe reſectam.

Abſtinui dein ab omni medicamento, & fœminam per 14. dies in noſocomio retinui, ut viderem: an denuo malum reverteretur.

Verum ægra optime movit brachium, & ulcus manſit firmiſſime clauſum.

Dedi dein adhuc idem purgans, & poſt tres dies ſaniſſimam dimiſi.

Dum mihi egit gratias, rogavit ſimul, ut darem licentiam me adeundi, dum quid in mamma adverteret, conceſſi hoc facillime, verum jam ſex menſes præterlapſi ſunt, & fœmina non rediit.

Dominus *Haffner*, egregius mei noſocomii Chirurgus, ſumma cum ſedulitate, attentione, & experientia huic fœminæ ſuccurrit, & remediis externis ſecundum rationem, & ſymptomata optime applicatis, plurimum ad curationem contulit.

CASUS TERTIUS.

HOMO, 27. annorum, a longo tempore fœdum cancroſum ulcus in regione lumbali ſiniſtra habuit, hoc ulcus repſit continuo in latum & profundum, & jam cœpit lumborum vertebras arrodere. Præterea fungi cancroſi undequaque propulularunt.

Poſtquam diverſi & optimi chirurgi remedia maxime convenientia incaſſum tentaſſent, æger noſtrum noſocomium acceſſit.

Doc-

Doctiſſimus Chirurgus *Haffner* remediis primo lenioribus, dein cauſticis, tandem ferro & igne conabatur fungoſum cancrum conſumere, ulcus depurare, & claudere.

Ego remedia, ſanguinis maſſam depurantia, quæ maxime conducerent, præſcripſi.

Subinde per unum alterumve diem quidquam nobis videbamur proficere; verum mox prius malum rediit, & quandoque fuit deterius.

Unde omnia fruſtra tentari vidimus.

Cortex peruvianus, qui alias mira præſtitit in ulceribus putridis, magna doſi & longo tempore datus, nil effecit.

Quapropter cataplaſma ex cicuta externe appoſuit Dominus *Haffner*, & ego juſſi, æger aſſumeret mane & veſperi grana novem extracti cicutæ, & copioſum decoctum hordei, vel ſerum lactis biberet.

Æger antehac erat macilentus, debilis, & cachecticus, & circa veſperas habuit horrorem, febrem, & dein ſudorem copioſum, defatigantem.

Verum nunc intra aliquos dies cœpit appetere, quiete dormire, & in ulcere pus bonum comparuit.

Octavo die juſſi drachmam dimidiam extracti cicutæ aſſumeret, externe cataplaſma ſedulo renovatum eſt.

Duodecimo die ulcus erat purum, fungi cancroſi mobiles, flaccidi, nullo modo dolentes, circa vertebras quædam oſſium fragmenta ſeparabantur.

Decimo

Decimo ſeptimo die nulla amplius ad veſperas horripilatio obſervabatur, æger bene dormivit, nec ſudavit, & vires quotidie auctæ ſunt, in ulcere erat pus laudabile, e fungis circa ulceris margines copioſum ſerum fluxit.

Vigeſimo die ex vertebris arroſis plurima granula oſſea ſeparata ſunt; hinc inde in ulcere incipiebat formari cicatrix, quoniam autem fungi erant flaccidi, nullo modo dolentes, & quoniam nimis lente conſumebantur, & hac ratione ulceris conſolidationem impediverunt, Dominus *Haffner* eos cultro reſcidit.

Æger nullum inde dolorem ſentiebat; medicamenta interna externaque continuata ſunt.

Vigeſimo quinto die undequaque ex ulceris margine naſcebatur cuticula, & hac ratione ulcus in ſanationem vergebat, color aderat læte ruber, pus bonum, paucum.

Vires ægri erant bonæ, appetitus bonus, noctes tranquillæ, alvus liberrima.

Externa internaque remedia continuata ſunt.

Trigeſimo die ulcus jam fere totum erat clauſum, nec ulli amplius fungi creſcebant, æger optime habuit.

Quadrageſimo die ulcus firmam habuit cicatricem, & æger ſanus videbatur.

Nihilominus adhuc per quatuordecim dies mane & veſperi dedi grana ſex extracti cicutæ, & multum ſerum lactis, ut

hac

hac ratione omne acre & cancroſum ex ſanguine ſeparаretur.

Poſtea dedi purgans, & hominem ſanum dimiſi.

CASUS QUARTUS.

FOemina, 36. annorum, ulcus fœdum in tibia dextra a pluribus annis habuit, adhibita remedia interna externaque ulcus quidem ſubinde fere ſanarunt; dum autem proximum erat conſolidationi, ſubito iterum ruptum eſt; copioſus, & acerrimus ichor effluxit, & crevit caro fungoſa.

Balnea diverſiſſima mineralia prodeſſe quandoque videbantur; verum mox iterum prius malum rediit.

In noſtro noſocomio diverſa tentavimus, quæ acre ſanguinis corrigerent, externe carnes fungoſas conſumerent, & dein ulcus conſolidarent.

Verum nullum habebamus ſucceſſum.

Nam licet ulcus uno alterove die integre clauſum eſſet, nulla tamen firma cicatrix inducebatur, unde brevi iterum ortus eſt pruritus, & tranſſudavit ichor, propullularunt carnes fungoſæ & ulcus in pejus ivit.

Adhibebatur igitur ſolum infuſum cicutæ pro fomento externo, & noctu ulcus emplaſtro de cicuta tegebatur, interne præter ſerum lactis datum eſt nihil.

Contigit tunc, ut carnes fungoſæ ſponte ſepa-

ſeparatæ fuerint, dein ulcus intra viginti octo dies firmiſſima cicatrice obductum fuit, & pes poterat optime moveri.

Datum tunc eſt purgans, & relinquebatur fœmina adhuc per octiduum in noſocomio abſque omni medicamento; cum dein ulcus optime clauſum videretur, ex noſocomio dimiſſa fuit.

CASUS QUINTUS.

VIR, 62. annorum, annoſum & fœdum ulcus habuit in regione abdominis dextra, quod erat unam ſpithamam longum, & ſeptem pollices latum, profundumque adeo, ut fere in cavum abdominis penetrarit.

Ad thoracem ſiniſtrum fere æque magnum ulcus fuit, quod copioſum, fœtens, & acre ſerum fudit, & coſtas arroſit.

Dato purgante Dominus *Haffner* fomentum ex cicuta applicuit in utroque ulcere.

Quoniam æger ſimul tuſſi laboravit, datum ei eſt decoctum ex radice & foliis althææ, cui addebatur oxymel ſimplex, & ſtibium diaphoreticum non ablutum.

Intra paucos dies utrumque ulcus longe purius fuit, & bonum pus comparuit, & æger, antea debilis, videbatur recuperare vires.

Circa decimum diem ex coſtis carioſis multa fragmenta ſeparabantur, & ex ulceris margine cœpit naſci cuticula alba.

Ulcus abdominis fuit minus profundum, & dedit bonum pus.

Decimo quarto die præbui iterum purgans; dein cum eodem decocto althææ continuavi.

Decimo ſeptimo die utrumque ulcus longe purius, & minus latum fuit, ex coſtis ſemper quædam fragmenta ſeparata ſunt.

Trigeſimo ſecundo die ulcus thoracis erat clauſum, & tuſſis fere omnis ceſſavit; ulcus abdominis vero erat adhuc ſatis magnum.

Id tamen quoque circa quinquageſimum diem ſolo uſu externo cicutæ ſanatum eſt.

Dabatur dein adhuc purgans, & bonus ſenex ſanus ex noſocomio dimittebatur.

Narravit tunc, quod per decem circiter annos hæc ulcera habuerit, quod fere omnes ſuos reditus in ſanationem conſumſerit, quod tentata innumera remedia prorſus nil juverint, & quod ſub finem, omnibus fere viribus exhauſtus, ut ultimos finiret dies, eſſet ad noſocomium tranſlatus.

CASUS SEXTUS.

FOemina, 28. annorum, quatuor annis mammam ſiniſtram geſſit magnam, lapidis inſtar duram.

Circa aëris & tempeſtatis mutationes vehementes in hac parte dolores ſenſit, quum autem hi dolores ſemper ſponte ceſſarunt, & quum color mammæ manſit naturalis, nec tumor motum brachii impedivit, nullum applicuit remedium, neque ulli homini hanc mammam oſtendit.

Deni-

Denique ſub finem menſis Februarii 1760. morbo acuto afficiebatur, unde ad noſtrum noſocomium tranſlata eſt.

Intra viginti ſex dies ex hoc morbo ſat gravi cœpit convaleſcere.

Dum vero e lecto ſurrexit, & ambulavit, ſenſit dolorem continuum, rodentem, lancinantem in mamma dextra; cum tamen hicce dolor non erat adeo vehemens, eum per plures dies celavit.

Dein vero præ nimia doloris vehementia non potuit dormire, & amiſit appetitum ac vires; monſtravit propterea mammam Domino *Haffner*, & is me hac de re monuit.

Invenimus mammam duriſſimam, purpuream, nigris & lividis ſtriis variegatam, intumuit ſimul brachium ejuſdem lateris; dolores erant enormes, rodentes, lancinantes, venæ erant nigræ, varicoſæ.

Pulſus celer, parvus; cor continuo palpitavit.

Externe ilico applicuimus ſomentum ex cicuta, pro interno autem remedio dedi emulſum leniter nitroſum, opiatum.

Eadem nocte mitigabatur dolor & ſequebatur ſomnus ſat tranquillus trium horarum.

Poſt ſomnum erant dolores iterum ingentes, & ex uſu fomenti nil adhuc in mamma mutatum fuit.

Ut alvus ſolveretur injectum eſt enema, & dein continuabatur emulſum paregoricum, nitroſum.

Nox inſequens fuit longe tranquillior,

 & do-

& dolores in mamma videbantur admodum mites, neque tamen color, neque durities, neque tumor mutatus fuit.

Tertio die quoniam pulſus ſat bonus deprehenſus eſt, dabantur mane & veſperi grana octo extracti cicutæ, ſuperbibendo aliquot uncias decocti althææ.

Sera autem veſpera, ut nox eſſet tranquilla, datum eſt remedium paregoricum.

Nox tota erat quieta, & ægra ſomno multum reficiebatur.

Mane dolores fuerunt exigui, mamma erat mollior, & melius tulit rudiorem adtactum. Brachium autem præ dolore & tumore nequaquam poterat moveri.

Duodecimo die jam nullæ amplius ſtriæ nigræ, aut lividæ aderant, venæ varicoſæ erant vix non in ſtatum naturalem contractæ, dolores fuerunt pauci, & tumor brachii quoque diminutus eſt.

Data tunc ſunt grana decem extracti cicutæ mane & veſperi, fomentum ex cicuta ſedulo applicatum eſt, veſpertinum autem paregoricum omittebatur, quoniam ægra, a doloribus minus vexata, jam ſponte cœpit dormire.

Vigeſimo die color mammæ fuit fere naturalis; verum durities erat ingens, neque mamma erat mobilis, accreta videbatur, brachii tumor fuit multum imminutus, & ægra potuit digitos & manum citra dolores movere.

Dedi tunc extracti cicutæ grana triginta duo per diem, & fomentum ſedulo conti-

continuatum eſt, noctu tegebatur mamma emplaſtro de cicuta.

Vigeſimo tertio die mamma iterum rubuit, aderant ingentes dolores, qui ab eo tempore ſe ſe inſinuabant, quo appoſitum eſt noctu emplaſtrum de cicuta.

Removi igitur emplaſtrum, & ſolo iterum fomento & cicutæ extracto uſus ſum; veſperi dedi paregoricum, ut nox eſſet quieta.

Trigeſimo die mamma iterum habuit colorem naturalem, dolores fuerunt exigui.

Dedi per diem quadraginta grana extracti cicutæ, & fomentum continuatum eſt.

Quadrageſimo die brachium totum detumuit, & ſat bene poterat moveri, mamma fuit minor, mollior, & mobilior.

Quinquageſimo die omnia iterum in mamma erant meliora; verum fœmina a cibis abhorruit, & oris amarorem conquerebatur, & crura pauliſper intumuerunt, conceſſi propterea, ut ab extracto cicutæ per aliquot dies abſtineret, juſſique, ut infuſum florum ſambuci copioſum biberet, fomentum autem ex cicuta continuatum eſt.

Quinquageſimo quarto die dedi purgans ex rheo, pauco ſcammonio, & ſale polychreſto.

Alvus inde quater mota eſt, & altero die viguit appetitus, & crurum tumor fere omnis diſparuit; mamma fuit mobilis, nec doluit ab adtactu, per vices tantum advertebantur lancinantes & vagæ punctiones.

Fumo leniter aromatico feci dein crura fricari;

cari; ad mammam vero fomentum ex cicuta ſedulo appoſitum eſt.

Sexageſimo die, quoniam ægra optime habuit, & crura erant naturalia, & appetitus bonus, dedi iterum extracti cicutæ mane & veſperi grana ſex, & copioſum infuſum florum ſambuci.

Sexageſimo ſexto die mamma in multa minora tubercula diviſa videbatur, nec ullus aderat dolor.

Dedi tunc mane & veſperi grana decem extracti cicutæ, fomentum ſedulo continuatum eſt.

Octuageſimo die mammæ moles fuit admodum exigua, brachium potuit citra omnem dolorem moveri, ægra ſufficientes vires & bonum appetitum habuit, noctu quiete dormivit.

Nonageſimo primo die pauca adhuc in mamma durities ſupererat, quæ in omnem partem poterat volvi; ægra autem ob continuam fomenti applicationem jam erat impatiens, neque ingratum odorem amplius poterat ferre, hinc illud removi, & ejus loco emplaſtrum de cicuta applicui, dedique mane & veſperi grana quindecim extracti cicutæ.

Emplaſtrum jam nullos dolores excitavit; omnia quotidie in melius mutata ſunt, & centeſimo vigeſimo quinto die mamma erat flaccida, pendula, nec minima tangebatur durities.

Diſceſſit tunc hæc ægra ex noſocomio; juſſi autem, ut aliquamdiu adhuc pilulis de

cicuta

cicuta in parva doſi uteretur, ut hac ratione malum tam facile non rediret.

CASUS SEPTIMUS.

VIrgo, 21. annorum, cancrum apertum in mamma ſiniſtra habuit, præterea tuſſivit frequenter, & conquerebatur in thorace ſiniſtro continuum ardorem, & dolorem erodentem.

Tota ſanguinis maſſa erat corrupta, & ægra ſimul ſcabie laboravit, & erat penitus emaciata, & veſpertino tempore quotidie ſenſit horrorem, & dein calorem, tandem ſudorem fœtidum.

Ulcus copioſo ichore fœtente manavit.

Peſſimis his in circumſtantiis tentavi cicutam, & ſtatim dedi mane & veſperi octo grana extracti cicutæ, externe fomentum ex eadem cicuta applicui, præterea autem debebat ægra copioſum ſerum lactis aut lac purum, dupla aquæ copia dilutum, bibere.

Spatio duodecim dierum ægra melius habuit, minus tuſſivit, exacerbationes veſpertinæ, & ſudores nocturni fere ceſſarunt, vires auctæ ſunt, in ulcere cancroſo tenue pus comparuit, fluxus ichoroſus imminutus eſt, nec advertebatur fœtor.

Verum manſit in thorace ardor & dolor erodens.

Dedi tunc quater per diem grana octo extracti cicutæ, & reliquis remediis continuavi.

Trigeſimo die mammæ moles fuit multo minor, vires ſatis bonæ, ulcus purum, appetitus

titus magnus, ſomnus autem, ob continuum ardorem ſub mamma, erat ſine opio turbatus, anxius.

Scabies incipiebat exſiccari, & ægra potuit extra lectum eſſe.

Exhibui ſcrupulos duos extracti per diem.

Quadrageſimo ſexto die ægra ſat bene habuit, mammæ moles fuit multo minor, & ulcus cœpit diminui.

Remanſit autem ardor & dolor erodens in thorace ſiniſtro, quamvis is per vices admodum exiguus fuerit.

Sexageſimo die mammæ durities fere tota evanuit, & ulcus fuit multo minus, purum.

Dedi tunc drachmam unam extracti cicutæ per diem, & reliqua continuata ſunt.

Octuageſimo die omnis durities diſparuit, & ulcus erat fere integre clauſum.

Ardor autem & dolor erodens in thorace ſiniſtro per vices erant admodum ſævi, & propterea noctes quandoque turbatæ ſunt.

Vires erant utcunque bonæ; ſcabies integre diſparuit, faciei color fuit fere naturalis; verum ægra manſit macilenta.

Octuageſimo quarto die ſanatum erat ulcus, ægra extra lectum ambulavit, appetiit, & quandoque ſine opio placidiſſime dormivit.

Comparuit tunc fluxus menſtruus, qui jam per quinque menſes ſiluit; lætabatur propterea hæc ægra, & ſperavit non abſque ratione, ardorem & dolorem erodentem in thorace ſiniſtro nunc ceſſaturum, quoniam is incepit, dum ſanguis menſtruus retinebatur.

Fluxus

Fluxus per binos dies continuavit; tertio autem die ſiſtebatur, & tunc ardor & dolor erodens in thorace ſiniſtro ilico auctus eſt, & ægra iterum pejus habuit.

Quarto die ad inferiorem mammæ marginem ortum eſt tuberculum purpureum, & valde dolens.

Dominus *Haffner*, ut dolores mitigaret, adplicuit cataplaſma emollientiſſimum.

Quoniam autem ægra magnam habuit ſitim, & validam febrim, & pulſum durum, vena ipſi ſecta eſt, & data ſunt decocta reſolventia, antiphlogiſtica.

Paucum inde levamen ſequebatur.

Sexto die ruptum eſt tuberculum & effluxit copioſus & acerrimus ichor.

Stylo tunc inducto in aperturam invenit chirurgus ſinum, qui ſub muſculo pectorali repſit fere uſque ad ſuperiorem mammæ marginem, ibique advertebatur coſta arroſa; hinc, quum vires adhuc ſatis bonæ eſſent, ſinum totum parteſque omnes ſuperjacentes chirurgus perſcidit, ut videret, quouſque coſta eſſet corrupta.

Facta hac ſectione ægra breve animi deliquium paſſa eſt, unde vulnus ligabatur, & omnia in diem poſterum relinquebantur.

Veſperi aderat ingens febris, & magnus dolor, ideo remedia antiphlogiſtica, & emulſa paregorica ægræ data ſunt, & nox fiebat ſatis quieta.

Altero a ſectione die Dominus *Haffner* aperto iterum vulnere invenit plures coſtas ar-

roſas, & aperturam aliam, quæ in pectoris cavum penetravit, & per quam tuſſiendo ichor fœtidus expellebatur.

Injectum tunc eſt in cavum pectoris decoctum hordei cum pauco melle roſaceo, ut ulcus mundaretur, & ut ſeparatio impuri a ſano fieret.

Emulſis nitroſis, paregoricis continuatum fuit, & ægra ſat bene ſe habuit.

Circa veſperas autem quotidie orta eſt febricula, & noctu ſequebatur ſudor.

Quinto die quoniam apertura in cavum pectoris admodum parva erat, Dominus *Haffner* eam dilatavit, ut illud, quod in cavo continebatur, poſſet facilius effluere, & elui.

Octavo die quædam fragmenta oſſea poſt injectionem ex vulnere prodierunt, unde certum erat, coſtas interius eſſe quoque carioſas.

Multum igitur corticem peruvianum ægræ dedi, præter decoctum lignorum, & lac vaccinum.

Tentavimus tunc injectiones magis detergentes, balſamicas.

Verum has ægra non tulit, orta eſt febris major, & multus dolor, atque materies ex vulnere prodiens valde fœtuit.

Hinc ab his abſtinebatur, & ſolum decoctum hordei cum melle iterum injectum fuit.

Separabantur ſubinde quædam oſſea fragmenta, quæ poſt magnam tuſſim per aperturam cum multo fœtido ichore propellebantur.

Nihilominus ardor & dolor erodens nequaquam fiebant mitiores, imo in anteriore thorace

race ſe ſe magis extenderunt, & fœmina, licet magna corticis peruviani doſi quotidie uteretur, debilis fuit, & febris veſpertina aucta eſt.

Poſt longum igitur uſum, dum vidimus hæc remedia parum juvare, concluſimus ego & Dominus *Haffner* in cavum pectoris injicere infuſum cicutæ, & cortici peruviano jungere cicutæ extractum.

Altero die jam materies ex cavo pectoris prodiens non amplius adeo fœtuit, & dolor, ardorque pauliſper imminuti ſunt.

Poſt paucos dies videbantur vires augeri, & appetitus; & ægra noctu ſat tranquille dormivit.

Dabatur quotidie uncia dimidia corticis peruviani, & extracti cicutæ ſcrupulus unus præter copioſum ſerum lactis.

Lene ab initio fiebat infuſum cicutæ pro injectione, quoniam autem vidimus id nec pulmones irritare, nec augere anxietates, & bonum præſtare effectum, id ſaturatum dein adhibuimus.

Spatio quatuordecim dierum multa fragmenta oſſea cum materie tenui, purulenta, ex cavo pectoris prodierunt, ægra multo melius ſe habuit, potuit extra lectum eſſe, & fere ſemper abſque opio quiete dormivit.

Attamen ſenſim ab adeo magna corticis doſi abhorruit, unde drachmam dimidiam dedi quotidie extracti cicutæ, & tantum drachmas duas corticis peruviani.

His remediis, & copioſiſſimo ſero lactis, & injectione, quæ bis quotidie fiebat cum ſaturato cicutæ infuſo, hanc ægram per binos, &

dimidium menſes conſervavimus, & jam aliquam curationis ſpem in ſinu fovebamus.

Contigit autem tunc, ut ægra in pleuritidem peſſimam, & fere lethalem incideret.

Nihilominus tamen Eruditiſſimus Dom. *Collin*, qui tunc noſocomii curam geſſit, debitis venæ ſectionibus, applicatis cataplaſmatibus & præſcriptis optimis remediis, effecit, ut dolor punctorius ceſſarit, & morbus ſputis fuerit optime judicatus.

Et ægra poſt hunc morbum iterum vires mediocres recuperavit, materies tamen ex cavo pectoris prodiens multum fœtuit, & ichoroſa fuit.

Nequaquam tunc cortex peruvianus, neque cicutæ extractum, neque ejuſdem infuſum profuit; peſſima febris veſpertina iterum ſupervenit & ſudor nocturnus miſeram ægram ita defatigavit, ut intra ſeptem ſeptimanas, tota extenuata obierit.

Sectione anatomica invenimus pleuram in cavo pectoris ſiniſtro fere conſumtam, & coſtas plurimas in tenues lamellas corroſas.

Pulmo ejuſdem lateris hinc inde quoque erat exeſus.

Certo! ſi hoc ulcus externa in pectoris ſuperficie fuiſſet, ubi manus chirurgica potuiſſet accedere, aptiſque fomentis mali progreſſum impedire, & ſeparationem carioſi adjuvare, hæc ægra & a peſſimo cancro, & ab ulcere fœdiſſimo fuiſſet optime curata.

In homine, 23. annorum, ex empyemate in cavo ſiniſtro pectoris jam morituro, me ſuadente

ſuadente Dominus *Haffner* lato vulnere puri exitum pandit, educitque puris tenuis, fœtidi, libras quinque & dimidiam.

Anceps erat & audax conſilium, verum quoniam æger jam fere ſuffocatus morti fuit proximus, licuit tale quid tentare, quoniam ſæpius vidimus, audaci operatione nos hominum dies longiores, & minus acerbos reddidiſſe.

Educto pure æger peſſime habuit, extrema fiebant frigida, evanuit pulſus, facies erat tota collapſa & ſudore gelido, craſſo, madida.

Doluimus ſiniſtrum operationis eventum, nil tamen neglеximus, quod adhuc ægro profuturum videbatur.

Spiritu cornu cervi nares, tempora, frontemque bene perfricuimus; dedimus deglutiendam unciam unam vini auſtriaci & guttas ſex ſpiritus cornu cervi, videbatur tunc anima redire, & deprehenſus eſt ad carpum pulſus tremulus.

Æger cœpit oculos aperire, & anhelare.

Dedimus dein juſculi carnium aliquot uncias, & ægrum ad quietem diſpoſuimus.

Verum manſit is anxius, & poſt horæ quadrantem æruginoſa vomuit, & tunc denuo eum moriturum credebamus.

Sopito autem per remedium paregoricum vomitu, lenis ſomnus ſequebatur.

Qui, quamvis nec diu duraverit, nec fuerit tranquillus, ægrum tamen aliquantulum refecit.

Altero die æger cœpit loqui, & oblata patienter aſſumſit.

Domi-

Dominus *Haffner* cavum pectoris decocto hordei, & melle roſaceo bene eluit, ego autem præſcripſi remedia, tunc indicata.

Intra quatuor dies æger iterum tantas vires habuit, ut ſe ipſum in omnem partem citra animi deliquium potuerit movere.

Dominus *Haffner* ſtylo in pectus penetravit, & advertit coſtas multas eſſe carioſas, tentavit propterea diverſas balſamicas, detergentes, & vulnerarias injectiones, nullam autem magis utilem invenit, quam eam, quæ infuſo cicutæ facta fuit, hæc enim pus laudabile fecit.

Vires ægri auctæ ſunt, rediit appetitus.

Nocturnus ſudor & veſpertina febricula aptis remediis mitigabantur, integre vero ſiſti non poterant.

Curationem perfectam ſperare nunquam potuimus; verum erat nobis ſatis, dum hominem, jam fere mortuum, operatione audaci e mortis faucibus detraximus, & dedimus ei vitam longiorem & minus moleſtam.

Injectione ex ſaturato infuſo cicutæ, & remediis balſamicis, interno uſu adhibitis, & paregoricis, & diæta lactea in ſeptimum menſem hunc ægrum ſat commode conſervavimus, tunc autem tempore verſus autumnum vergente cœpit iterum fortius tuſſire, febricula veſpertina aucta eſt, & intra triginta & unum dies contabuit.

Pulmo reperiebatur plurimum exeſus, & coſtæ carioſæ.

Mirum!

Mirum! quod ſaturatum infuſum cicutæ in cavum pectoris, & ad nudum pulmonem injectum nullas turbas, nullas anxietates, &c. excitaverit.

Patet inde, cicutæ virus adeo tetrum non eſſe.

Atque ideo hunc caſum hic inſerui, quoniam cum priori quid commune habet.

CASUS OCTAVUS.

HOMO, 27. annorum, a ſex circiter annis geſſit tuberculum ad linguæ radicem, quod per vices multo dolore afficiebatur, & deglutitionem fecit difficilem, ſubinde tamen nullus ibidem dolor obſervatus eſt.

Hoc tuberculum ſenſim accrevit in nucis avellanæ magnitudinem; fuit totum lividum, & acutiſſime ſemper doluit.

Demum ruptum eſt, & effluxit ichor acerrimus, fœtidus, & oriebatur ulcus fœdum, latum.

Deglutitio fuit admodum difficilis.

Quidam chirurgi & medici credebant ulcus eſſe venereum; hinc remediis antivenereis curam inchoabant.

Decocta plurima, varia purgantia, mercurio miſta, tandem ſpiritum frumenti, in quo mercurius ſublimatus ſolvebatur, æger longo tempore incaſſum aſſumſit; imo malum auctum eſt.

Demum ſalivatione miſer penitus extenuatus fuit ſine morbi emendatione.

Quum hæc remedia maxime heroica nil effecerunt, æger fato relinquebatur; datum ipſi eſt teſtimonium, quod curari non poſſit, quodque deberet in domum incurabilium ſuſcipi.

Æger

Æger tamen undique adhuc auxilium quæſivit, & fere omnium chirurgorum portas pulſavit; verum vix non ab omnibus ſine ope eſt dimiſſus.

Demum venit ad Dominum *Haffner*, chirurgum mei noſocomii, is re bene conſiderata ſtatim cogitavit, cicutam hoc in ægro eſſe adhibendam.

Unde hunc hominem altero die, dum ad noſocomium veni, mihi oſtendit.

Feci ilico, ut ipſi lectus pararetur, eumque in noſocomio retinui.

Erat autem totus emaciatus, veſperi habebat horripilationes, dein calores; tandem ſudore copioſiſſimo maduit, & ſomnus fuit anxius, inquietus.

Ulcus fœdiſſimum fere totam linguæ radicem exeſit, ex ejus margine & fundo variæ fungoſæ excreſcentiæ propulularunt, quæ omnes erant exulceratæ, & fœdiſſimum ichorem fuderunt.

Dolor aderat continuus, ardens & deglutitio fuit fere impoſſibilis, ulcus in profundum & latum continuo ſerpſit, æger non poterat diſtincte loqui.

Uvula, tonſillæ, & totæ fauces jam quoque afficiebantur, nam vidimus ſat profundas eroſiones, quæ acri humore ſtillare cœperunt.

Æger ſæpius tuſſivit, & ex faucibus usque ad ventriculum magnum ac continuo prurientem ardorem conqueſtus eſt.

Ex ore prodiit fœtor deterrimus, qui nobis inſpicientibus ſæpius nauſeam, & horrorem excitavit.

Status

Status ſane hujus ægri erat maxima commiſeratione dignus.

Eruditiſſimus Dominus *Collin*, medicus, qui mecum tunc noſocomium adivit, hunc quoque ægrum vidit, dubitavimus certo, an in caſu adeo inveterato, & deſperato cicuta quidquam poſſet præſtare.

Interim tamen præter hanc nullum nobis ſupererat remedium, quod jam non fuiſſet tentatum.

Prima erat indicatio, ut ulcus ſordidum purgaretur.

Rogavi propterea Dominum *Haffner*, ut leni manu ope ſyringæ aliquoties per diem infuſum cicutæ, melle roſarum miſtum, ad fauces, & ulcus injiceret, & hac ratione ſenſim ſordes & acrimonias ablueret.

Pro medicamento dedi miſturam ſequentem:

℞ Extract. cicut. gr. x.
mucilag. gum. traga. dr. ß
Syrup. diacod.
unc. j.
aq. flor. ſamb. unc. v.

m. ſ. *Sumat æger omni bihorio cochleare unum.*

Potus ordinarius erat ſerum lactis, cibus autem juſculum cum pane, panatella, hordeum mundum, &c.

Prima nocte æger jam longe tranquillius dormivit.

Altero mane ulcus nec ita fœtuit, nec adeo ſordidum fuit.

Verum loquendi, & deglutiendi difficultas æque magna manſit.

Iiſdem remediis internis, externiſque continuatum eſt.

Tertio die ardor in faucibus, & per totum œſophagum multum remiſit, ulcus erat longe purius, nec ullus fere fœtor obſervabatur.

Eandem adhuc miſturam præbui, extractum cicutæ ſolummodo auxi, & ſcrupulum integrum immiſcui.

Sexto die jam potuit ſolidiora citra multum dolorem deglutire, ulcus cancroſum fuit ſatis purum, faucium ulcera jam incipiebant levi cicatricula obduci, & ardor per œſophagum vix amplius percipiebatur.

Iiſdem remediis continuatum eſt.

Undecima die circa veſperas fere nullæ aderant horripilationes, nec multus calor, & nocturnus ſudor vix non penitus deſiit.

Ulcus cancroſum ichoris loco pus exhibuit, nec aderat multus dolor dum æger ſolida deglutivit, leviſſimus tantum fœtor advertebatur; æger longe diſtinctius loquebatur, vires habuit multo majores, & bonum appetitum, faucium ulcera jam plurima erant clauſa, & ſubinde tantum levis in œſophago ardor perceptus eſt.

Iiſdem medicamentis continuatum fuit.

Decimo quinto die ulcus cancroſum optimum habuit colorem, fungoſæ excreſcentiæ erant multo minores, nec amplius ichorem plorarunt, & ex ulceris ambitu tenuiſſima, & albicans naſcebatur cuticula, quæ ſpem primam veræ curationis adtulit, & oſtendit, cancro ſerpenti limites eſſe poſitos.

Fauces erant ſanatæ, abſuit in œſophago omnis

omnis ardor, æger habuit bonas vires, nec pejora obſervabantur ſymptomata circa veſperas, nec ſudor nocturnus.

Exhibui tunc quotidie mane pilulas octo, granorum duorum, de extracto cicutæ, & totidem veſperi, & deſuper feci hauriri copioſum ſerum lactis, injectiones ad ulcus continuabantur.

Die vigeſimo omnia iterum erant meliora, ulcus cœpit longe minus fieri, excreſcentiæ fungoſæ plurimæ ſponte ſeparabantur, nullus aderat fœtor, nec ichor, ſed pus bonum.

Noctes fuerunt quietæ, vires auctæ ſunt, & viguit appetitus.

Die trigeſimo ulcus fuit ſat purum, plurimæ excreſcentiæ jam erant ſeparatæ, reliquæ autem, ſuperſtites, erant flaccidæ, pallidæ, nec ex adtactu dolore afficiebantur, æger vinum purum bibit abſque dolore in ulcere.

Dedi tunc per diem ſcrupulos duos extracti cicutæ, & copioſum ſerum lactis, & infuſo cicutæ ulcus ſæpius per diem ablutum eſt.

Trigeſimo quarto die famem ingentem habuit æger, & propterea oblata avidiſſime ſine debita maſticatione abligurivit.

Onerabatur inde ventriculus, & poſtero die aderat nauſea, horror, continuus vomendi conatus, præcordiorum anxietas, vertigo, labii inferioris tremulus motus, calor magnus, pulſus inæqualis robore & celeritate, reſpiratio brevis, anheloſa, facies tumida, livida.

Dolebam tunc ſummopere, ſpem curationis hac ratione eſſe diminutam, & ægrum in ſummum vitæ periculum conjectum.

Maxime urgens indicatio erat, ut ventriculus ab onere ſuo liberetur, dedi igitur grana viginti pulveris radicis ypecacuanhæ, & granum unum tartari emetici.

Vix dato pulvere, ſequebatur ilico vomitus materiei crudæ, incoctæ, vomitum potu copioſo aquæ tepidæ faciliorem reddidi.

Æger hac ratione ſexies vomuit cibos, avide deglutitos, multumque ſerum flavum, quod acidum ſpiravit.

Poſt vomitum mala ſymptomata fere omnia evanuerunt, ſolo tenui juſculo eo die æger nutriebatur, veſperi datum eſt paregoricum.

Nox fuit tranquilla.

Mane pulſus æqualis, lentus, parvus deprehendebatur, nec æger quidquam præter debilitatem conqueſtus eſt.

Ulcus tunc iterum erat ſordidum, magis doluit, nec tamen deglutitio inde multum læſa eſt; ſolo infuſo cicutæ, & melle roſarum ſæpius per diem leniſſima injectione abluebantur ſordes.

Grato julapio, diæta convenienti, pauco vino, & paregorico veſpertino vires tunc reficere conabar.

Die trigeſimo nono æger ſat bene ſe habuit, & ipſe rogavit, ut pilulæ de cicuta denuo darentur.

Dedi tunc per diem ſcrupulos duos extracti de cicuta, & copioſum ſerum lactis, ad prandium conceſſi vinum.

Res quotidie iterum in melius mutata eſt, & ulcus optimam curationis ſpem præ ſe tulit.

Quoniam omnia tunc ſecundum vota procedebant, non auxi amplius doſin extracti, lenes injectiones ad ulcus, quæ ſolo infuſo cicutæ fiebant, ſedulo & ſæpius per diem repetitæ ſunt.

Quinquageſimo die paucæ adhuc aderant fungoſæ, flaccidæ, pendulæ excreſcentiæ, quæ ulceris conſolidationem retardarunt.

Has Dominus *Haffner* abſque ægri dolore reſecuit forfice. Sectione nullus prodibat ſanguis.

Injectiones diligenter peractæ ſunt, quoniam magnum levamen, & egregiam opem ægro adtulerunt.

Loquela fuit liberrima, deglutitio bona, vires integræ, ſomnus optimus, appetitus magnus, alvus naturalis, urina copioſa, bene colorata.

Iiſdem ſtrenue continuatum eſt, & ſexageſimo octavo die ulcus erat cicatrice obductum.

Ab injectionibus tunc abſtinebatur, verum extractum cicutæ eadem doſi adhuc per quatuordecim dies datum eſt.

Dum autem videbamus firmiſſimam eſſe cicatricem, & hominem eſſe integre ſanum, ſenſim omne remedium ſepoſuimus, & conceſſimus, ut in aërem liberum ſe conferret, & ea ederet, quibus antea fuerat aſſuetus.

Eum tamen ſaniſſimum adhuc per quatuor ſeptimanas in noſocomio retinuimus.

Dein autem ipſe petiit, ut dimitteretur.

Dominus *Collin* toto curationis tempore

hunc

hunc ægrum vidit, & mecum obſervavit. Magno nobis ſæpe ſolatio fuit, dum vidimus hunc hominem ab omnibus deſertum, & pro incurabili habitum, ope cicutæ non tantum a veſpertina febre, a ſudore nocturno, a tabe & cachexia eſſe liberatum, ſed & a peſſimo cancro curatum, & optime reſtitutum.

Poſt aliquot ſeptimanas ex relatis audivi, eum iniiſſe matrimonium.

CASUS NONUS.

VIR, 42. annorum, a pluribus annis habuit dolorem vagum arthriticum, noctu hicce dolor calore lecti multum augebatur. Longo tempore diverſiſſima decocta, aliaque remedia interna & externa adhibuit, nec ullum inde levamen ſentiebat.

Neque balnea ſulphurea aliaque diverſiſſimi generis, longo tempore adhibita, quidquam profuerunt.

Tandem materies vaga figebatur ad humerum dextrum, & ad coxendicem ejuſdem lateris. Unde pedi, & brachio mobilitas demebatur, minuta eſt ejus lateris ſenſibilitas, & acceſſit macies.

Varia iterum interne externeque tentata nihil juverunt, imo auxerunt dolores, & videbantur malum reddere pejus.

Neque vis electrica, per trimeſtre ſpatium applicata, in hoc homine quidquam mutavit.

Æſtate præterita, dum ruri degebam, me acceſſit, narravitque mali hiſtoriam.

Cau-

Cauſam & veram morbi originem ignoravit.

Quoniam ego multis in ægris vidi cicutam contra dolores rheumaticos, & arthriticos vagos, & fixos multum valuiſſe, credidi eam & in hoc caſu ſtatim eſſe adhibendam.

Dedi tunc mane & veſperi quinque pilulas, granorum duorum, & copioſum decoctum radicis bardanæ.

Poſt octiduum rediit, & conquerebatur majores ad humerum & coxendicem dolores, & ingratam per totum brachium, & pedem formicationem.

Cæteroquin nil mutatum eſt.

Suaſi tunc, ut mane octo pilulas de cicuta ſumeret, & totidem veſperi, utque decoctum bardanæ continuaret.

Decimo quarto die dolores erant minores, verum in toto latere affecto, ut & in pede & brachio percipiebatur ſudor pruriens, fœtens, & oriebantur puſtulæ albicantes, pellucidæ, acri ſero plenæ.

Senſibilitas jam longe major advertebatur.

Appetitus fuit bonus, vires ſat magnæ, fluxit urina copioſa, quæ prodeundo ardorem in urethra excitavit, alvus fuit naturalis.

Tunc æger per diem cœpit viginti pilulas ſumere, & continuavit decoctum radicis bardanæ.

Vigeſimo quarto die carnes in brachio videbantur redire, & jam quædam advertebatur mobilitas.

Reliqua erant in priori ſtatu, puſtulæ autem ſemper copioſiores comparuerunt, nec deſiit pruritus.

Tri-

Trigeſimo ſexto die æger per univerſum corpus ingratum ardorem & pruritum conquerebatur, & oriebantur ex ruptis puſtulis cruſtæ craſſæ, & vera ſcabies ſuperveniebat.

Verum pes & brachium erant longe mobiliora, ſat robuſta, optime ſenſibilia.

Curavi totum corpus infuſo cicutæ, quod lacte fiebat, bis quotidie lavari.

Intra paucos dies cruſtæ plurimæ ceciderunt, puſtulæ autem hinc inde longe frequentiores comparuerunt, & pruritus augebatur.

Quinquageſimo die jam poterat moveri brachium in omnem partem, pes autem ægro videbatur adhucdum gravis, cæteroquin autem erat mobilis, flexilis & omni in loco aderant optima ſenſationis ſigna.

Dedi tunc per diem drachmam integram extracti cicutæ, & loco decocti bardanæ exhibui ſerum lactis, præterea tamen infuſo cicutæ, lacte facto, corpus quotidie bis lavabatur.

Spatio octidui omnis pruritus ceſſavit, diſparuerunt puſtulæ & omnes cruſtæ, & æger cœpit optime convalere.

Sexageſimo nono die æger potuit ambulare, & brachium in omnem partem movere, neque ex itinere unius & dimidiæ horæ multum defatigabatur.

Senſim tunc iterum cicutæ doſin minui, ſeri lactis vero ingentem quotidie copiam bibere ægrum juſſi, corpus non amplius lavabatur.

Octuageſimo die ſaniſſimus me iterum acceſſit, egitque gratias.

CASUS

CASUS DECIMUS.

VIRGO, 18. annorum, ſpina ventoſa jam a ſeptem annis ad tarſum pedis dextri & ad cubitum brachii dextri laboravit; tentata remedia, alias in ſimilibus morbis maxime laudata, nil profuerunt.

Decoctis lignorum copioſiſſimis per multos menſes uſa eſt, & eliciebatur inde copioſus ſudor, malum ſub initium videbatur levari; dein vero tuſſi ſicca vexabatur ægra, cœpitque debilitari, & emaciari, & malum iterum pejus factum eſt.

Data ſunt remedia antiſcorbutica, & multum ſerum lactis, & ulcera inde fere ſanata ſunt.

Verum dum maxima curationis ſpes erat, ortus eſt novus circa partes affectas dolor, cœpit iterum ichor acerrimus effluere, & orta ſunt denuo ulcera fœdiſſima.

Mercurius ſublimatus corroſivus in ſpiritu frumenti ſolutus, qui alias ſimilibus in morbis optimos effectus præſtat, hic nil effecit.

Dedi igitur extractum cicutæ & copioſum decoctum hordei crudi cum pauco lacte.

Exterius ad ulcera & tumores ſolum emplaſtrum Diapompholygos applicui, ut certus eſſem de effectu, quem cicuta interne data in ſimili morbo haberet.

Intra quatuor dies ulcera alias fœda, & fœtida jam puriora erant, & pus bonum eſſe cœpit, & dolores multo mitiores fuerunt, & ſomnus fuit tranquillior, & appetitus major.

Sexto, ſeptimo, octavo, & nono die copioſum ſerum acre ex ulceribus exſtillavit.

Duodecimo die videbantur oſſei tumores multo minores, & color profunde ruber cœpit in naturalem mutari.

Decimo quinto die ex ulcere in tarſo pedis dextri tria oſſium fragmenta ſeparata ſunt.

Decimo ſeptimo die ulcus ad tarſum pedis dextri erat purum, & ex margine incipiebat naſci cuticula, quæ ſanationem promiſit, tumor oſſium affectorum circa hoc ulcus fuit multo minor.

Verum ad cubitum brachii dextri ulcus & tumor vix mutatus deprehendebatur, & aderat multus dolor, effluxit copioſum ſerum, motus tamen articulationis videbatur paulo facilior.

Applicui igitur fomentum ex cicuta, ulceri autem in tarſo impoſui emplaſtrum de cicuta.

Vigeſimo quarto die tumor circa articulationem cubitus dextri fuit multo minor; & ulcus purum, effluxitque ſerum copioſum, & materies granuloſa ex oſſibus ſeparabatur.

Ulcus ad tarſum pedis dextri multo minus fuit, tumor fere totus concidit, & omnia brevem ſanationem promiſerunt.

Trigeſimo quarto die ex oſſe humeri circa articulationem cubitus dextri longum & magnum oſſeum fragmentum ſeceſſit.

Tumor circa articulationem multum diminutus eſt, & ægra jam facile flexit brachium, & ori cibos admovit.

Ex

Ex ulcere ad tarſum pedis dextri multum iterum ſerum fluxit, & prodierunt valde exigua oſſium fragmenta, & ægra majorem dolorem conqueſta.

Interim vires auctæ ſunt, appetitus viguit, & ægra fuit alacrior, pinguior.

Quadrageſimo octavo die ulcus in pedis tarſo erat penitus clauſum, nec ullus fere tumor amplius advertebatur, nec dolor.

Circa articulationem cubitus brachii dextri omnia erant quoque meliora.

Dedi tunc ægræ purgans, quod octo vicibus alvum copioſam, ſubflavam movit.

Altero a purgante die ægra quievit, & nil aſſumſit.

Sequentibus autem diebus iterum dedi cicutæ extractum, & copioſum ſerum lactis.

Quinquageſimo ſexto die ægra multo melius ſe habuit, brachium potuit flectere, & in omnem partem movere.

Ulcus in tarſo manſit firmiter clauſum.

Septuageſimo ſecundo die omnia, quæ alias tumebant, ad ſtatum naturalem redierunt, & ulcus circa cubitum brachii dextri erat fere conſolidatum.

Quoniam articulationis motus fuit ſatis liber, nec oſſa amplius tumuerunt, credidi tunc, non amplius neceſſe eſſe, ut hæ partes undequaque fomento involverentur, ulcus tantum linteis carptis infuſo cicutæ madidis Dominus *Haffner* replevit, deligavit.

Nonageſimo die coaluit ulcus ad cubitum,

nec ex nata cicatrice brachii flexilitas impediebatur.

Per duodecim dies adhuc præbui huic ægræ cicutam, & copioſum ſerum lactis, dein dedi purgans, & quoniam vidimus hanc eſſe integre ſanam, & ulcera eſſe optime ſanata, dimiſimus eam e noſocomio.

CASUS UNDECIMUS.

HOMO, 35. annorum, fœdiſſima ulcera ſerpentia ad tarſum utriuſque pedis, & intra ſcapulas a binis annis habuit.

Præterea corpus totum puſtulis prurientibus, & acerrimo ſero plenis erat obſitum.

Ulcera ichorem acerrimum plorarunt continuo, partes vicinas arroſere, & omnia ad oſſa uſque & tendines conſumſerunt.

Variis uſus remediis, & balneis nullum fere levamen percepit, aut ſi ulcera videbantur ſanationi proxima, mox iterum in peſſimum ſtatum mutata ſunt.

Æger inde debilitatus eſt, cœpit extenuari, & incidit in ſudores nocturnos.

Demum me in conſilium vocavit, & quum multiplici experientia edoctus fui, cicutam ſanguinis acrimoniam corrigere, & ulcera ſimilia ſanare, præſcripſi pilulas de extracto cicutæ, & decoctum radicis bardanæ.

Spatio octo dierum pruritus per univerſum corpus fere omnis ceſſavit, & plurimæ puſtulæ evanuerunt, neque ulcera adeo copioſum ichorem dederunt,

Vige-

Vigeſimo die æger fuit multo robuſtior, ſudor nocturnus non amplius advertebatur, & ex margine ulceris naſcebatur alba cuticula, quæ cicatricem formaret.

Dedi tunc purgans antiphlogiſticum.

Dein juſſi, ut æger cicutæ extractum & decoctum bardanæ iterum continuaret.

Jam ſumſit quotidie drachmam dimidiam extracti cicutæ.

Trigeſimo ſexto die æger ſat bene valuit, & ulcera erant fere clauſa.

Tendines nudi antea in ulceribus comparuerunt, naſcente tamen cicatrice eorum motus non fuit impeditus.

Quadrageſimo octavo die ulcera erant cicatrice tenui obducta, hæc ut firmior fieret, applicui unguentum nutritum.

Dedi iterum purgans antiphlogiſticum.

Sexageſimo die ulcera videbantur firmiſſime conſolidata, & homo erat optime ſanus.

Suaſi tamen, ut mediocri doſi cicutam adhuc per tres ſeptimanas ſumeret, & biberet deſuper infuſum florum ſambuci, dein præſcripſi iterum purgans, ut hac ratione & ſanguis, & primæ viæ ab omni acri & crudo eſſent liberæ.

Ex uſu cicutæ hicce homo longe meliorem in facie colorem obtinuit, muſculi omnes alias flaccidi nunc erant firmi, fortes, & totus homo fiebat ex pinguedine quadratus.

CASUS

CASUS DUODECIMUS.

FABER ferrarius fœdiſſimo morbo cutaneo, qui ab elephantiaſi non multum abludebat, jam a decem annis laboravit.

Omnium fere medicorum, chirurgorum, balneatorum & argyrtarum opem imploravit, remedia maxime heroica longo tempore aſſumſit, & balnea diverſa mineralia, & vaporum applicuit; verum vix unquam levabatur, potuit tamen ſuos labores peragere.

Neque fœda hæc ſcabies in facie aut manibus comparuit, ſed iis tantum in partibus, quæ veſte tegebantur.

Unde potuit cum aliis ejus ſociis converſari, nunquam tamen in eodem lecto cum iis decubuit.

Quum autem tentatis fortiſſimis medicamentis vidit, malum nequaquam emendari, noluit amplius conſilium medicum petere, & reliquit rem ſoli naturæ, & omnia, quæ palato arriſere, comedit, ſtrenue bibit, neque tempeſtatis viciſſitudines evitavit.

Pejus inde non habuit.

Contigit autem, ut hyeme præterlapſa frigori ſubito expoſitus in pleuritidem inciderit.

Tranſlatus eſt propterea ad noſtrum noſocomium.

Vena debebat iteratis vicibus ſecari, verum cutis erat adeo dura, & tenax, ut chirurgus non potuerit penetrare niſi magna vi, & multa adtentione.

San-

Sanguis vena miſſus erat vere pleuriticus.

Decoctis emollientibus, expectorantibus, mellitis, nitroſis, morbus ſat gravis ſpatio quatuordecim dierum ſputo judicabatur.

Decimo octavo die dedi purgans & tunc homo videbatur iterum ſaniſſimus.

Malum tamen cutaneum acuto hoc morbo nequaquam mutatum eſt.

Putavi tunc cicutam hoc in morbo pertinaciſſimo eſſe tentandam.

Suaſi igitur, ut adhuc maneret in noſocomio, promiſique ſanationem.

Exhibui ilico grana decem extracti cicutæ tempore matutino, & totidem veſperi & ſimul dabatur copioſum decoctum radicis bardanæ, & glycyrrhizæ.

Præterea autem bis quotidie lotum eſt totum corpus anatica parte aquæ, & lactis tepidi, in cujus menſuris duabus ſolvebatur uncia una ſaponis veneti.

Spatio decem dierum multæ ſquammæ ceciderunt, rugæ fuerunt molliores, & leniſſima advertebatur tranſpiratio.

Cutis antea aſpera, rugoſa, fœdiſſime ſquammoſa, dura, cornea fere, & inſenſibilis, nunc ex adtactu paulo rudiori doluit.

Undecimo die jam cœpit dimidiam drachmam extracti cicutæ ſpatio viginti quatuor horarum exhibere, decoctum bardanæ, glycyrrhizæ, & lotiones continuatæ ſunt.

Decimo ſeptimo die fere omnes ſquammæ jam erant ſeparatæ, & rugæ cutis ſenſim applanatæ ſunt.

Æger

Æger autem vagos calores & anxietates conquerebatur, pulſus tamen fuit æqualis, non febrilis, vires bonæ, appetitus magnus, urina prodiit copioſa, acris, & alvus quotidie ter vel quater ſponte fluxit fœtida, bilioſa.

Æger e levi adtactu iis in partibus, ubi ſquammæ hæſerunt, ardorem, & dolorem percepit.

Eadem doſi & iiſdem medicamentis, tunc adhuc juſſi, pergeret.

Vigeſimo ſexto die corripiebatur horripilatione, dein calore, & magna ſiti, ſequebaturque valida febris.

Oculi rubuerunt, lingua fuit ſicca, urina flammea, & cutis totius corporis levi phlogoſi tendebatur, nec minimum adtactum tulit citra magnum dolorem & ardorem.

Abſtinui ilico ab uſu cicutæ, & dedi copioſum rob ſambuci, nitrum, & decoctum hordei crudi.

Alvus inde aliquoties mota eſt, neque vires ægri multum diminutæ ſunt, ſymptomata ſenſim omnia remiſerunt, & trigeſimo quinto die cutis habuit colorem fere naturalem, rediit appetitus, & pulſus fuit æqualis, lentus.

Diæta molli tunc vires ægri reſtauravi, pro medicamento & potu ordinario dedi infuſum florum ſambuci, quod ſero lactis fiebat.

Quadrageſimo nono die cutis tota fuit fere naturalis; verum manſit ſemper magis ſenſibilis, quam alias eſſe ſolet.

Vires tunc æger bonas habuit, optime appetiit, quiete dormivit, urina prodiit optime colorata, & alvus bene cocta.

Quum autem in cute variæ puſtulæ comparuerunt, quæ pruritum excitarunt, & ruptæ fuderunt ſerum acre, credidi: ad ſanguinem magis depurandum cicuta adhuc dum utendum eſſe.

Feci igitur, æger mane & veſperi aſſumeret grana decem de extracto cicutæ, & biberet copioſum ſerum lactis.

Quorum uſu ſpatio quatuordecim dierum integre ſanatus fuit.

Epidermis tamen manſit admodum tenuis, & rumpebatur a minimo adtritu.

Verum hoc incommodum ſuſtulit balneum Badenſe, quo hicce homo per tres ſeptimanas utebatur.

Poſt hujus uſum optime ſanus, & habens cutim, & epidermidem penitus naturalem, me acceſſit, gratias acturus.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Foemina, 42. annorum, ſaniſſima alias, ſeptem abhinc annis (cauſam ignorat) cœpit fluore albo continuo laborare, & ab eo tempore nil ſanguinis menſtrui amplius comparuit.

Materies ex utero prodiens ſub initium lenta, mucoſa, ſubalbida fuit, in hypogaſtrio autem advertebatur tenſio, & dolor punctorius, vagus.

Præterea urina ſubinde teneſmo retenta, aut difficilis reddita eſt.

Uſu balneorum, & variorum remediorum ſpatio novem menſium hic fluxus ſuppreſſus fuit.

Verum manſit in hypogaſtrio tenſio, & dolor punctorius, & ſæpius obſervatus eſt urinæ teneſmus, & vagi calores frequenter caput turbarunt, ſupervenerunt leves leipothymiæ, & fere quotidie verſus veſperas ſpinam dorſi horror perrepſit.

His ſymptomatibus ſolo decocto althææ medebatur ægra.

Per integrum fere quinquennium malum fuit ſatis mite, ægra habuit vires, & poterat ſuos labores peragere.

Dein autem erodentes orti ſunt dolores, hypogaſtrium tenſum ex minimo adtactu valde doluit, & demum retenta eſt urina, & alvus.

Enematibus emollientiſſimis, & ſimilibus fomentis tandem cœpit urina prodire acris, turbida, & alvus dura, nigra, globoſa.

Levamen inde habuit ægra, recuperavit iterum ſuas vires, & potuit extra lectum eſſe.

Externo adtactu deprehendebatur in medio hypogaſtrio tumor durus, in quo continuus percipiebatur dolor ardens, erodens, pungens.

Atque ideo hæc fœmina balneo emollientiſſimo quotidie per binas horas inſedit, & octavo die, quo hoc balneo utebatur, prodiit ichor ſubfuſcus, acer, fœtidus, & dolores ardoreſque inde levabantur.

Simili balneo adhuc per quatuordecim dies uſa eſt, & multo melius inde ſe habuit; etenim hypogaſtrium ſat rudem ad-

tactum ſine dolore tulit, & ægra potuit ambulare abſque moleſtia.

Verum fluxus ichoris acerrimi ſemper factus eſt copioſior, & eroſa eſt uteri vagina, & vulva.

Hinc remedia externa internaque applicata fuerunt.

Per aliquot dies ægra ſubinde ſibi levata videbatur, & fluxus fuit admodum mitis.

Dein autem aucti ſunt iterum dolores, ſupervenit febris, retenta eſt urina, hinc enematibus & fomentis urinæ viæ iterum debebant liberari, & inde ichoris fluxus copioſior fuit.

Senſim ægra debilitata eſt, cœpit veſpertino tempore horripilationes conqueri, dein calores, & noctu copioſe ſudavit.

Tentata quæcunque, nil juverunt; imo dolores ſemper fiebant magis vivaces, pertinaciores, & materies magis fœtuit, & fuit acerrima.

A medicis relicta demum ad noſocomium venit, tota emaciata, cachectica.

Tentavi omnia remedia, quæ in ſimilibus caſibus profuiſſe, alias vidi.

Præterea decoctis demulcentibus, & diæta molli conabar involvere acrimoniam.

Vires videbantur pauliſper augeri, & mens fieri alacrior; verum febris veſpertina, & ſudor nocturnus continuarunt.

Neque imminuti ſunt dolores, neque fluxus mitior redditus.

Hinc, quum adverti, me remediis uſitatis actum agere, tranſivi ad uſum cicutæ.

Dedi autem ſimul decoctum ſaturatum radicis althææ, & leni infuſo cicutæ, quod lacte factum eſt, curabam ſæpius per diem vulvam, & uteri vaginam elui.

Intra paucos dies magna fiebat mutatio, remiſerunt dolores, febris veſpertina erat mitior, ſomnus magis tranquillus, ſudor minus copioſus, neque materies, utero effluens, adeo fœtuit.

Decimo octavo die jam dedi nycthemeri ſpatio viginti quatuor grana de extracto cicutæ.

Symptomata omnia fere quotidie in melius mutata ſunt; dolores tamen ſubinde adeo vivi fuerunt, ut opio debuerint ſopiri.

Trigeſimo die dolores erant enormes, urentes, acceſſit febris, ſitis, & multum imminutæ ſunt vires.

Removi ilico extractum cicutæ, non tamen cicutam propterea damnavi.

Venam ægræ ſecui, & ſolum decoctum emollientiſſimum cum nitro & melle exhibui.

Externe applicabatur cataplaſma emolliens.

Dum hæc febris acceſſit, ſiluit omnis fluxus uteri, urina reddebatur difficilior, non tamen penitus retenta eſt.

Sanguis, e vena miſſus, fuit ſpiſſus, phlogiſticus.

Mala hæc ſymptomata abſque omni fere remiſſione in quartum diem durarunt, ægra ſæpius ſenſit horrores.

Quarto die debilis admodum fuit ægra, pulſus

pulſus ſæpius intermiſit, obſervabantur frequentes caloris coloriſque in facie mutationes.

Demum verſus veſperas, prægreſſo magno horrore, & ſudore frigido & levi animi defectu mucus prodiit ex utero, miſtus ſtriis ſanguineis, & advertebatur magnus fœtor.

Hinc omnes gangrænam lethalem adeſſe clamitarunt.

Verum poſt mediam horam prodiit multum pus, & ægra ſe levatam ſenſit, & nox fuit quieta, & bono ſomno dein reficiebatur.

Altero mane eam inveni alacrem, & pulſum habuit naturalem, puris fluxus mediocris continuavit.

Solum iterum radicis althææ decoctum tunc ſine nitro exhibui, verum junxi ſimul pilulas ex olibano, maſtiche, ſarcocolla, & mucilagine gummi tragacanthæ confectas.

Dolores circa uteri regionem pauci fuerunt, neque ulla amplius durities tactu obſervata fuit.

His ſolis medicamentis, & diæta molli ſpatio duodecim dierum puris fluxus integre curatus fuit, & auctæ ſunt vires.

Quum tamen ceſſante puris fluxu per vices adhuc ichoris ſtillicidium animadvertebatur, & ægra ſubinde dolores pungentes, vagos in utero conqueſta eſt, pilulas balſamicas ſepoſui, & earum loco dedi extractum cicutæ.

Cujus efficacia dein intra tres ſeptimanas ægra integre ſana fuit.

Etenim fuit toroſa, robuſta, agilis, nil conquerebatur, uteri omnis fluxus ſiluit, urina prodiit

prodiit ſine moleſtia, appetitus fuit bonus, ſomnus tranquillus, reficiens.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

FOemina, 48. annorum, a quindecim circiter annis fluorem album habuit, & quamvis remedia ab optimis artis magiſtris præſcripta, longiſſimo tempore aſſumſerit, malum tamen aut manſit in eodem ſtatu, aut in pejus mutatum fuit.

Dum vidit, idem eſſe, ſive adhiberet medicamenta, ſive ea negligeret (imo ex uſu medicamentorum ſubinde debilitata eſt, & pejus habuit) mutavit conſilium, & morbum ſoli naturæ commiſit.

Per undecim annos fuit ſine remedio, dein vero fluxus menſtruus retentus fuit, qui antehac & debito tempore, & ſufficienti copia ſemper comparuit.

Orti tunc ſunt acutiſſimi in utero dolores, & ſimul advertebatur continuus ardor, materies effluens, antea benigna, lenta, mucoſa, nunc tenuis fuit, & virideſcens, & fœtuit.

Multorum medicorum opem tunc ægra imploravit, adivit chirurgos, conſuluit vetulas, aſt medicamenta potius moleſtiæ, quam levamini fuerunt.

Miſera ſenſim in peſſimum ſtatum redacta fuit.

Dolores & ardores aderant continui, & hi verſus veſperas aucti ſunt, præter ichorem putridiſſimum effluxit ſubinde ſanguis fœtidus, diſſolutus & prodierunt fruſta fibroſa,

corrupta,

corrupta, ſubnigra; vagina uteri & vulva ſenſim exulceratæ & exeſæ ſunt, & ægra emaciata vix ſe erectam potuit ſuſtinere.

His in miſeriis eam ad noſocomium ſuſcepimus.

Rogavi Dominum *Haffner*, ut partes genitales, quantum poſſibile eſſet, digitis & oculis luſtraret.

Invenit tunc vulvam exeſam, vaginam exulceratam, & os uteri erat ſat durum, dolens, & fortiori preſſione prodiit ſanies.

Conſului, ut bis quotidie injectiones in vaginam fierent ex leni infuſo cicutæ cum pauco melle roſarum, & ſexta parte lactis.

Præterea copioſum decoctum involvens, demulcens, emolliens, miſtum cum tertia parte lactis recentis datum eſt.

Spatio ſex dierum fœtor multum emendatus fuit, & ægra videbatur aliquantulum refici.

Dedi tunc præter decoctum demulcens extractum cicutæ, & injectiones in vaginam fuerunt continuatæ.

Omnia ſymptomata ſenſim in melius mutata ſunt, ichoris loco tandem effluxit mucus ſubpurulentus, dein nil amplius comparuit.

Et ſpatio undecim ſeptimanarum fœmina integram ſanitatem recuperavit.

Ultra drachmam dimidiam extracti cicutæ non opus fuit dare per diem, quoniam hæc doſis ſufficienter omni ſymptomati ivit obviam.

Ab injectionibus tunc ceſſatum eſt, dum incipiebat materies benigna comparere.

Abluta

Abluta tamen aliquoties per diem ſunt pudenda, ne & illud benignum intra plicas ſtagnans acrimoniam contraheret.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

FOemina, 52. annorum, a longo tempore dolore continuo rodente in utero vexabatur.

Fluore ſimul albo laboravit, qui ſenſim adeo malignus factus eſt, ut materies effluens non tantum partes genitales corroſerit, ſed &, ipſa linteamina, quibus excipiebatur, brevi reddiderit friabilia.

Fœtor præterea tantus fuit, ut & maritus eam fugerit, & omnes fœminæ, quibus alias familiariter utebatur, evitarint ejus conſortium.

Poſtquam plurimam bonorum ſuorum partem fruſtra in ſui curationem conſumſit, meum tandem auxilium quæſivit.

Juſſi, ut ſerum lactis biberet, & ablueret partes circa pudenda leni infuſo cicutæ, & lacte, addito pauco melle roſarum.

Quoniam autem conquerebatur, noctes eſſe maxime inquietas ob enormes in utero ardores, præſcripſi pulverem ex drachma dimidia lapidum cancrorum & ex grano uno opii, ut quotidie, cubitum itura, ſimilem pulverem ſumeret.

Somnus inde longior & tranquillior factus eſt, & augebatur appetitus; imo & vires majores videbantur, & mens alacrior.

Cæte-

Cæteroquin autem nil mutatum fuit.

Exhibui tunc præter ſerum lactis extractum cicutæ, & veſpertinos pulveres continuavi.

Spatio quatuordecim dierum dolores adeo mitigati erant, ut paregorico veſpertino opus non amplius fuerit, materies utero prodiens non amplius ita fœtuit, nec adeo acris fuit.

Urina autem retinebatur.

Abſtinui tunc per aliquot dies ab extracto cicutæ & dedi miſturam ſequentem:

℞. Lap. canc. unc. j.
vin. auſtriac. montan.
lib. j.

m. ſ. *ſumat ægra quater per diem cochleare unum.*

Hæc miſtura egregios effectus præſtitit: etenim urina prodiit liberrime, & ex utero propellebatur multa materies acris, ichoroſa cum magno ægræ levamine; interim tamen dolores iterum aucti ſunt.

Hinc dein ad uſum cicutæ denuo erat tranſeundum.

Dedi quotidie grana viginti extracti cicutæ & copioſum decoctum radicis althææ, vel ſerum lactis.

Dolores hinc mitigabantur & vires auctæ ſunt, atque prodiit materies mucoſa, raro fœtida.

Nihilominus poſt tres circiter ſeptimanas circa urinæ vias iterum teneſmi obſervabantur.

Unde extracti cicutæ loco iterum dedi miſturam priorem ex vino & cancrorum lapidibus.

Et hæc magnum denuo levamen adtulit.

Hac ratione cogebar ſæpius cicutæ uſum interrumpere, & fere omni decimo quarto die dedi miſturam, qua abſumpta, extractum cicutæ iterum continuavi.

Effectum eſt inde, ut miſerrima hæc ægra ſpatio ſex menſium integre fuerit ſanata.

Et jam a novem menſibus optimam ſanitatem habet.

Hoc tempore bacchanali ventriculum ſolito plus oneravit, unde me acceſſit rogatura: darem ei medicamentum.

Verum conſului, a cibis per unum alterumve diem abſtineret.

Aderat tunc Doctiſſimus Dominus *Collin*, & oſtendi ei hanc fœminam ex periculoſiſſimo morbo optime curatam.

Fœmina ipſa mali hiſtoriam me melius explicuit, nec ſufficienter potuit laudare pilulas, quæ ſibi ſalutem adtulerunt.

Narravit: quod ab omnibus ob fœtorem, ex utero prodeuntem, contempta fuerit, quod proprius maritus, propriæ proles eam, quaſi peſte affectam, fugerint.

Quod tabe fere conſumpta, nil niſi oſſa & pellem geſſerit; quod abhorruerit a cibis, & ſudore nocturno fere diffluxerit.

Nunc autem dedit videnda toroſa brachia & ſuras optime repletas & firmas, dixitque, quod jam marito plurimum complaceret.

CA-

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Virgo octodecim annorum, mammam utramque lapidis inſtar duram a triennio fere habuit.

Pallida præterea fuit, flaccida, tota cachectica, neque unquam ei menſes adhuc fluxere, cordis palpitationem conquerebatur, & a paulo fortiori ingreſſu ſemper anhelavit, & fere ſuffocata eſt.

Mamma utraque ſtriis lividis erat variegata, advertebaturque perfrequenter dolor acute punctorius, vagus.

Glandulæ ſubaxillares & inguinales quoque erant tumidæ, induratæ.

Dedi illico ter quotidie tres pilulas, granorum duorum de extracto cicutæ, & qualibet vice feci deſuper hauriri infuſi meliſſæ & florum ſambuci vaſcula duo.

Externe nil applicui.

Quinto die nil adhuc erat mutatum.

Exhibui igitur ter quotidie pilulas quatuor & idem infuſum continuavi.

Octavo die ſtriæ lividæ in utraque mamma diſparuerunt, dolores autem vagi, pungentes erant longe frequentiores, vires auctæ ſunt.

Decimo die jam dabantur quindecim pilulæ per diem.

Duodecimo die prodiit ex utero materies copioſa, alba, glutinoſa, & omnes durities tunc molliores videbantur, & reſpiratio fuit levior, nec cordis palpitatio adeo frequens.

Eadem pilularum doſi in vigeſimum diem continuavi, & erant tunc omnia meliora; tu-

mores multo minores, mamma utraque mobilis & pro parte pendula.

Color faciei, antea ex flavo viridis, nunc in ſubroſeum mutabatur; functiones omnes incipiebant reſtaurari.

Quotidie ex utero copioſus mucus prodiit, qui ſubinde acer fuit, & in vagina ardorem excitavit, ſubinde autem adeo blande exſtillavit, ut ægra nil adverterit.

Datæ jam ſunt octodecim pilulæ per diem.

Trigeſimo die mammæ ambæ jam erant fere naturales, & glandulæ ſubaxillares multo minores, nullum dolorem ægra conquerebatur, mens fuit longe hilarior.

Fluxus autem utrinus nec amplius copioſus, nec frequens fuit.

Pilularum doſis non amplius aucta eſt, & continuabatur infuſum florum ſambuci & herbæ meliſſæ.

Quinquageſimo die nil in mammis repertum eſt, ſub axillis erant adhuc quædam tubercula, piſis æqualia, fluxus muci ex utero penitus deſiit; viguit appetitus.

Per tres adhuc ſeptimanas dedi mediocrem cicutæ doſin, & infuſum ruthæ.

Comparuit dein citra omnem dolorem fluxus menſtruus, prodiitque ſanguis ſaniſſimus per quinque dies, nec advertebatur cordis palpitatio, nec a fortiori ingreſſu reſpiratio inhibita fuit.

Unde optima videbatur adeſſe ſanitas, atque ideo nil amplius medicamenti datum fuit.

CA-

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

HOMO, 30. ann. biennio abhinc febre validiſſima intermittente, quotidiana afficiebatur.

Chirurgus hanc ilico ſuppreſſit cortice peruviano.

Gravis inde fiebat reſpiratio, delebatur appetitus; hypochondrium ſiniſtrum tenſum erat, nec citra dolorem adtactum tulit; lateri dextro æger non potuit incumbere. Demum ortus eſt tumor durus, qui fere totum abdominis cavum ſiniſtrum occupavit.

Præterea per totum corpus ſenſim comparuerunt furunculi fœdiſſimi, ſubcœrulei, qui profunde intra cutim & panniculum adipoſum penetrabant, quidam, ex affrictu rupti, ſanguinem putridum, nigrum fundebant, & brevi caro fungoſa ibi loci propululavit.

His omnibus miſeriis adhuc ſupervenit febris tertiana.

Medici, qui hujus ægri curam gerebant, ex hac tertiana ſalutem ſperarunt.

Hinc remediis ſalinis ſolventibus & amaricantibus febris conatum facilitare intendebant.

Verum hæc omnia nil juverunt, febris adeo vehemens fuit, ut æger vires plurimas amiſerit, imo ſenſim extrema intumuerunt, & merito timebatur hydrops.

Delatus tandem eſt ad noſtrum noſocomium.

Remediis leniter diureticis, ſapone veneto, rheo, conſervis antiſcorbuticis, &c. tumorem quidem extremorum diſſipavi, rediitque appetitus,

appetitus, verum febris violentia ſemper augebatur, & paroxyſmi adeo ſunt protracti, ut fere quilibet per viginti quinque horas duraverit.

Sub paroxyſmo ægrum ſemper tuſſis prehendit, quæ adeo valida fuit, ut tandem ſanguis rutilus proruperit.

Ceſſante tamen paroxyſmo nec aderat tuſſis, nec reſpiratio fuit difficilis.

Tuſſis ſub paroxyſmo nullis remediis potuit mitigari, ardor inde ſummus in pectore ortus eſt.

Acceſſit demum ſumma macies, & vires omnes conciderunt, ſudor nocturnus conſumptionem minitabatur.

Quare febris neceſſario debebat diminui.

Junxi igitur conſervis antiſcorbuticis corticem peruvianum ſelectiſſimum, cujus uſu ſpatio quinque dierum, febris admodum mitis facta eſt; ſudor nocturnus fere deſiit, nec vires adeo debiles videbantur, & ægrum ſubinde tranquillus ſomnus occupavit, refecit; tuſſis fuit longe minus moleſta, & potuit opiatis & mucilaginoſis compeſci.

Similibus itaque remediis per aliquot ſeptimanas continuavi, & ſubinde ea admiſcui, quæ ad tumorem diſſipandum & ad furunculos curandos conferrent.

Verum tumor in abdomine ſiniſtro & furunculi per totum corpus ſemper manſerunt in eodem ſtatu, nec febris ſopita fuit.

Quin imo pedes livido tumore inflaban-

tur,

tur, & copioſiores majoreſque furunculi ibi comparuerunt.

Decocta plurima, quæ alias ad maſſam ſanguineam corrigendam optima fuerunt, hic nil mutarunt.

His denique junxi leviora antivenerea, mercurialia.

Et cum hæc æger facile tulerit, nec inde quidquam in melius & pejus fuiſſet perverſum, dedi ſenſim acriora, & ſub finem exhibui præter copioſiſſima decocta mercurium ſublimatum corroſivum, ſolutum in ſpiritu frumenti.

Tulit & hunc æger citra ullum incommodum.

Verum largus ejus uſus per integrum menſem nil profuit.

Tentatis jam diverſiſſimis remediis præter cicutam fere nil ſupererat, quod in hoc morbo fuiſſet indicatum.

Dedi igitur ſtatim in principio mane decem grana & totidem veſperi, præter copioſum decoctum hordei crudi.

Tertio die, quo æger cicuta utebatur, febris paroxyſmum vix percepit.

Cætera vero in eodem ſtatu permanſerunt.

Septimo die æger habuit vires longe majores, febris penitus ſiluit; augebatur appetitus, flaccidus circa articulos & in facie tumor totus diſparuit.

Dedi jam drachmam dimidiam quotidie extracti cicutæ.

Duodecimo die cœpit prodire urina craſſa, ex nigro rubra, fœtida, & quidam ex furunculis

culis exſiccabantur, quidam vero rupti fuderunt lividum liquorem.

Tumor in cavo abdominis ſiniſtro videbatur tactu mollior, mobilior, æger tamen lateri dextro nondum potuit imcumbere.

Noctes fuerunt admodum quietæ.

Dedi tunc purgans antiphlogiſticum.

Decimo quinto die dabantur jam mane & veſperi grana viginti extracti cicutæ.

Vigeſimo die pedes antea lividi & tumidi obtinuerunt colorem & molem naturalem, plurimi furunculi exſiccabantur.

Hinc inde tamen iterum novi, verum admodum parvi & læte rubentes proruperunt.

Urina continuavit eſſe craſſa, ex nigro rubicunda.

Toti abdomini ſiniſtro impoſui tunc emplaſtrum de cicuta.

Vigeſimo quinto die æger aſſumpſit hauſtum antiphlogiſticum purgantem.

Et data tunc quotidie eſt drachma integra extracti cicutæ.

Trigeſimo primo die jam plurimi furunculi exſiccati ex cute ſeparabantur; verum omni in loco remanſit magna ſenſibilitas, & ex minimo affrictu cutis rupta eſt, & fudit acre ſerum.

Urina tunc prodiit minus craſſa, ſubfuſca.

Trigeſimo quinto die dedi purgans antiphlogiſticum.

Quadrageſimo die quinque tantum furunculi admodum exigui, & fere aridi ſupererant.

Tumor

Tumor in abdomine fuit minor, mollior.

Quinquageſimo tertio die furunculi omnes diſparuerunt, & niſi tumor in abdomine fuiſſet, homo hicce optime ſanus potuiſſet dimitti.

Datum tunc iterum eſt purgans antiphlogiſticum.

Et quum dein vires integras habuit, feci: ut ad ſuum conſuetum laborem (erat enim faber lignarius) rediret.

Juſſi præterea, ut quotidie pilulas triginta, granorum duorum, ſumeret, biberetque decoctum copioſum radicis bardanæ, & continuo applicaret emplaſtrum de cicuta.

Poſt ſex ſeptimanas jam citra moleſtiam potuit in latere dextro dormire; tumor jam admodum parvus fuit.

Decima ſeptimana tumor fere totus diſparuit.

Finito tertio menſe homo integre ſanus fuit.

Dedi tunc iterum hauſtum purgantem, & dein non amplius putavi neceſſe eſſe, ut quidquam aſſumeret.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

JUvenis, 17. annor. ex Hungaria huc adveniens febre violentiſſima laborat; gerit præterea in hypochondrio ſiniſtro ingentem tumorem, durum, immobilem, & eſt ſimul ictericus, & toto corpore tumet.

Per tres integras ſeptimanas varia adhibui remedia, verum nullum ægro levamen adtuli.

Confugi igitur ad extractum cicutæ, & præ-

bui mane & veſperi grana octo & ſaturatum infuſum foliorum trifolii fibrini.

Poſt octiduum febris jam longe mitior fuit, vires augebantur; tumor per univerſum corpus erat mollis, minor, rugoſus, urina alias craſſa fuſca, nunc fuit citrina, hypochondrium dextrum, quod ex minimo adtactu doluit, jam potuit premi fortiter, appetitus increvit.

Dedi tunc lene purgans ex rheo & ſale polychreſto.

Altero a purgante die exhibui mane grana decem extracti cicutæ, & totidem veſperi, & infuſum trifolii fibrini continuatum eſt.

Decimo octavo die æger vix amplius febris acceſſum ſenſit, totum corpus & præſertim extrema jam plurimum detumuerunt, icterus fuit levis; appetitus bonus, urina fere naturalis; tumor in hypochondrio ſiniſtro mollior.

Dedi tunc drachmam dimidiam quotidie de extracto cicutæ, & ad hypochondrium ſiniſtrum applicui emplaſtrum de cicuta.

Trigeſimo die juvenis fuit robuſtus, febris penitus ſiluit; leviſſima adhuc icteri veſtigia ſupererant; dolor ex articulis, & omnis tumor evanuit.

Dedi iterum purgans ex rheo & ſale polychreſto.

Dein, eodem infuſo & eadem extracti cicutæ doſi adhuc continuaret, juſſi.

Quadrageſimo primo die nullum amplius icteri veſtigium erat videndum, vires bonæ fuerunt.

Verum in tumore hypochondrii ſiniſtri magna

magna in melius mutatio obſervata non fuit.

Juſſi igitur, ut de extracto cicutæ ſumeret, quotidie grana quadraginta, & mane ac veſperi probe fricaret hypochondrium ſiniſtrum anatica parte unguenti de althæa & florum calendulæ, addita pauca camphora, & ut in libero aëre corpus bene exerceret.

Hac ratione ſpatio duorum & dimidii menſium tumor in hypochondrio penitus diſparuit, & juvenis perfecte ſanus caſtra adivit.

Omni decimo quarto die dedi lene purgans tempore curationis.

CASUS DECIMUS NONUS.

HOMO, 34. annor. glandulas colli ſcirrhoſas, & adeo magnas ab aliquot annis habuit, ut harum glandularum moles utraque ex parte colli caput humanum ſuperarit.

Monſtroſum erat videre hunc hominem, quia tria difformia capita geſſit.

Omnes hæ glandulæ, in unam maſſam concretæ, firmiſſime cohærebant.

Sub axillis erant quoque ingentes tumores, qui brachiorum motum valde dolentem & fere impoſſibilem reddiderunt.

Ex anteriore thoracis parte maſſa ſcirrhoſa ſeſe a collo uſque ad coſtarum limbos extendit.

Ichoroſa hinc inde ulcera hos ſcirrhos arroſerunt.

Aliis in plagis fœdiſſima fungoſa carcinomata nata ſunt.

Præterea innumeri ſinus & fiſtulæ detegebantur.

Tuſſis immanis ægrum vexavit, ſudor nocturnus & vires & carnes conſumpſit, reſpiratio fuit anheloſa, appetitus deletus, pedes, brachia, facies, & totus reliquus corporis habitus tumore œdematoſo turguit.

Veræ conſumptionis manifeſta ſigna aderant.

Varii medici penetrantiſſimis tam vegetabilibus quam mineralibus remediis hoc malum debellare conati fuerunt; verum eorum opera incaſſum fuit; imo æger inde pejus habuit.

Feci igitur hominem totum fere conſumptum, anhelantem, tumidumque transferri ad meum noſocomium.

Dominus *Haffner*, quamvis multos periculoſiſſime decumbentes ſola cicuta ſæpius ſanari viderit, hoc tamen in caſu ſpem omnem depoſuit.

Ego ipſe, ut verum fatear, hominem pro perdito habui, nam febris depaſcens, ſudor nocturnus, tuſſis continua & defatigans, vires penitus proſtratæ, tumor totius corporis, humorum cachexia, reſpiratio anxia, certam fere mortem præſagiebant.

Interim tamen rogavi Dominum *Haffner* ut externe fomentum de cicuta applicaret, ut ſinus & fiſtulas leni cicutæ infuſo, addito pauco roſarum melle, ſæpius per diem elueret.

Ego interim præſcripſi medicamenta expectorantia, & quæ vires ſimul augerent.

Solo fomento ulcera longe puriora facta ſunt, & tumores emolliebantur.

Spatio duodecim dierum æger habuit vires paulo

paulo majores; liberius reſpiravit, & noctes fuerunt magis quietæ.

Hinc cicutam interne quoque exhibui.

Pro potu ordinario dedi decoctum hordei, cui quarta pars lactis admiſcebatur.

Uſu cicutæ ſputa liberrime prodierunt, & ſpatio quatuordecim circiter dierum totus corporis habitus detumuit; urina copioſe fluxit; minuebatur febris veſpertina, & ſudor nocturnus; colli indurationes, ulcera, fiſtulæ & ſinus longe in meliori ſtatu inveniebantur, & æger jam potuit extra lectum eſſe.

Magnus & celer hujus remedii in hoc deſperato ſubjecto effectus nobis adtulit gaudium, & addidit animum, ut in applicatione tam internorum quam externorum remediorum alacriter pergeremus.

Antequam menſis ſpatium, quo æger cicutam aſſumſit, præterlapſum fuiſſet; color faciei jam fuit naturalis; viguit appetitus, ſiluit febris veſpertina, neque ullus ſudor amplius obſervatus eſt; vires fuerunt ſatis bonæ; colli tumores longe minores, molliores, in ulceribus optimum erat pus.

Doctiſſimus Dominus *Collin* ſimul mecum hujus ægri curam geſſit; Dominus *Haffner* ſuis fomentis & injectionibus ſedulo per diem continuavit, noctu autem applicuit emplaſtrum de cicuta.

Seſqui menſis ſpatio tumores colli jam fere dimidio minores fuerunt; æger potuit collum citra magnam moleſtiam in omnem partem flectere.

Reſpiratio

Reſpiratio fuit libera, nec audiebatur tuſſis, æger & pinguis & robuſtus factus eſt.

Jam tunc dedimus quotidie drachmam integram extracti cicutæ.

Sub initium tertii menſis æger quotidie drachmam unam cum dimidia de extracto cicutæ abſumſit.

Hac doſi per tres menſes continuavimus, & hoc tempore omnes tumores ſunt diſſipati, & ulcera cicatrice obducta; & ſinus ac fiſtulæ coaluerunt, rediitque collum totum ad ſtatum naturalem, homo fuit alacer, pinguis, fortis, nec ullum ab hac doſi unquam incommodum vidimus.

Igitur ope cicutæ id effectum eſt, quod nemo antea ſperavit.

CASUS VIGESIMUS.

VIrgo, 25. annorum, mammam dextram a decem annis habuit duram.

Hicce tumor ſeſe ſenſim infra axillam extendit; acceſſit demum color lividus, intumuerunt venæ, pars affecta noctu diuque dolore excruciabatur, brachium tumuit, & fuit immobile.

Ego vocatus ad hanc ægram ſtatim exhibui extractum cicutæ, externe autem nil applicui.

Spatio quinque dierum color lividus in læte rubrum mutatus fuit, & dolores erant multo mitiores.

Decimo tertio die mammæ color fuit fere naturalis, venæ adhuc erant turgidæ, durities autem multo mollior, mobilior, brachium quoque minus tumuit, & poterat aliquantulum moveri.

Decimo

Decimo ſexto die menſes proruperunt, tunc autem ægra obſervavit ſanguinem longe puriorem fluxiſſe, neque tantas ut antea moleſtias præceſſiſſe.

Etenim dum menſes imminebant ſemper vomitu moleſtiſſimo, dolore atrociſſimo colico, & ingratiſſima ad os ſacrum & ad inguina tenſione vexabatur, imo pectoris anxietas, cordis palpitationes, vertigines & dolentes urinæ teneſmi ægram alias ſemper plurimum debilitarunt, hac autem vice nil tale contigit.

Fluente ſanguine menſtruo venæ mammæ affectæ detumuerunt, mamma multo minor, mollior, mobiliorque fiebat, & diviſa eſt in plures moleculas.

Brachium ſat libere moveri potuit, & totus in brachio tumor evanuit.

Vigeſimo quarto die fluxus menſium ceſſavit, ægra bene habuit, nil doloris advertit, vires erant bonæ, & moleculæ in mamma affecta in craſſiores fibras diviſæ ſunt.

Dedi tunc lene purgans.

Trigeſimo ſexto die parvæ tantum moleculæ & quædam fibroſæ indurationes in mamma ſupererant; ægra optime habuit; color faciei antea luridus & cachecticus nunc roſeus fiebat, & totus corporis habitus longe robuſtior, firmior, & ad labores aptior.

Quadrageſimo tertio die prodierunt menſes citra omnem moleſtiam.

Quinquageſimo die nil fere inſoliti amplius in mamma deprehenſum eſt, brachium potuit liberrime moveri, nullus amplius dolor obſervabatur.

Dedi tunc lene purgans. Octua-

Octuageſimo die fœmina erat ſaniſſima, & inveniebatur mamma penitus naturalis.

Dedi tunc iterum purgans, & poſtea putavi, non amplius neceſſe eſſe, ut cicuta adhuc daretur.

Mediocris extracti cicutæ doſis in curanda hac fœmina ſuffecit.

Primis quatuor ſeptimanis tantum dedi tres pilulas mane, & tres veſperi; reliquo autem tempore aſcendi ad quatuor, tandem ad quinque pro doſi.

Pilula quælibet habuit grana duo.

Externe nil applicatum fuit.

Nec datum eſt quoddam decoctum, quod ſolutionem potuiſſet faciliorem reddere, verum qualibet vice juſculum carnis bubulæ ſumptis pilulis bibebatur.

Hemicraniæ dolentiſſimæ hæc ægra erat alias perfrequenter ſubjecta, ab eo autem tempore quo cicutam ſumpſit, nil advertit.

Levis igitur cicutæ doſis plura mala integerrime abſtulit, fugavit.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

VEtula, ſeptuaginta trium annorum, debiliſſima, emaciata, ulcus fœdiſſimum cancroſum habuit circa parotidem ſiniſtram.

Hoc ulcus egit fiſtulas & ſinus, qui intra muſculos colli & intra integumenta capitis profunde penetrarunt.

Dominus *Haffner* externe applicuit fomentum de cicuta, & ſinus ac fiſtulas ejuſdem herbæ infuſo ſæpius per diem eluit.

Interno uſu dedi cicutam & multum lac.

Spa-

Spatio viginti dierum omne crancroſum, fungoſum, corruptumve ex ulcere ſeparatum eſt; multi ſinus jam coaluerunt; ægra majores vires habuit.

Sed tunc a lacte abhorruit; conceſſi igitur paucum vinum, carnem vitulinam, multum cremorem ex hordeo mundo, vel oryzam molliter coctam.

Omnia quotidie in melius mutata ſunt, & ſexta ſeptimana, qua ægra utebatur cicuta, omnes fiſtulæ ſinuſque inveniebantur clauſi & ulcus erat firma cicatrice obductum.

Externe tum nil amplius adpoſitum eſt, interne tamen adhuc mane & veſperi per quatuordecim dies dedi pilulas duas.

Vetulam tunc ſanam & hilarem ex noſocomio dimiſimus.

CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.

FOemina, 44. annorum, ſana alias jam trigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno cœpit menſibus carere.

Præter tenſionem in inguine ſiniſtro nil incommodi ſenſit.

Balneis diverſiſque remediis uſa eſt incaſſum.

Et poſt binos annos advertit in hypogaſtrio ſiniſtro duritiem, quæ adtactu nequaquam dolebat, verum poterat hinc inde volvi.

Hæc intra breve ſpatium ita increvit, ut duos pugnos viriles magnitudine adæquaverit.

Et dum ægra lateri dextro incumbebat, excitavit dolorem, tenſionem & anxietates.

Balneis iterum emollientiſſimis uſa eſt &

aſſumſit medicamenta ab optimis in arte medicis præſcripta, externe applicatum eſt emplaſtrum & unguentum.

Subinde mollior videbatur tumor & minor, paulo poſt autem iterum lapidis inſtar durus erat, & tendebatur totum ventris ſiniſtri latus.

Dum ægra vidit nullum medicamentum prodeſſe, rem ſibi reliquit.

Ventrem autem ſemper faſciis ligavit, ne tumor volubilis eam in ambulando decumbendoque impediret.

Menſe Februario 1761. in peripneumoniam incidit, unde ad noſtrum noſocomium tranſlata fuit.

Remediis antiphlogiſticis, emollientibus & expectorantibus intra viginti quinque dies peripneumonia ſputis optime ſoluta fuit, & ægra convaluit.

Poſt hunc morbum cœpit in hypogaſtrio, ubi hicce tumor latuit, dolor oriri, qui per vices ſat violentus fuit, ſubinde autem fere evanuit.

Narravit hæc fœmina totam hiſtoriam paulo ſuperius deſcriptam.

Dominus *Haffner* & ego tumorem hunc examinavimus, & concludebamus eſſe ſcirrhum ovarii ſiniſtri.

Quum autem tot jam remediis, longo tempore, & uſu non interrupto aſſumtis, nil mutatum fuit, ilico dedimus cicutam & decoctum ſaturatum radicis althææ, externe autem nil appoſuimus.

Primis diebus ſtatim dolor in parte affecta ceſſavit,

ceſſavit, caput autem fiebat grave, idque quaſi torculari compreſſum ægræ videbatur.

Dedi tunc lene purgans, unde caput multum levabatur.

Dein iterum in uſu cicutæ continuatum eſt.

Fœmina ſenſim optime habuit; auctus eſt appetitus; increverunt vires; ſomnus fuit maxime tranquillus.

Decimo quinto die, quo cicutam dedimus, jam tumor nobis mollior videbatur, & ex utero prodivit mucus albus, lentus, viſcidus, inodorus.

Spatio unius menſis tumor jam dimidio minor fuit & mollis, continuavit autem ex utero prodire mucus.

Obſervabatur tunc, quod mucus prodiens magnum ſubinde circa uterum & pudenda ardorem excitaverit.

Menſe ſecundo fere elapſo nil amplius tactu poterat diſtingui, fœmina nil conquerebatur, & potuit in omne latus decumbere.

Muci fluxus ex utero fuit minus copioſus, & materies longe tenuior.

Intra paucos dein dies penitus ceſſavit, & fœmina videbatur ſaniſſima.

Nihilominus feci, adhuc continuaret per quatuordecim dies cicutam, ne aliquid remaneret, quod fors recidivæ anſam præberet.

CASUS VIGESIMUS TERTIUS.

INfans, trium annorum, peſſima rachitide laborat, facie & toto corpore tumet, & eſt debilis.

Tentatis multis remediis, quæ alias in hoc

 morbo

morbo ſalutaria ſunt, nil profui, unde infanti cicutam dedi.

Incipiebam a grano uno mane & uno veſperi.

Quarto die jam quatuor grana per diem exhibui, infans cœpit melius appetere.

Octavo die dedi ſex grana per diem, & infans videbatur robuſtior, pedibus ſeſe ſuſtinuit.

Doſin tunc non amplius auxi, quoniam omnia quotidie meliora facta ſunt, & infans alias moroſus, piger, meticuloſus, ſpatio unius menſis erat agilis, jucundus & optime comedit, & tumor articulorum ad minimum $\frac{2}{3}$ minor fuit.

Color faciei cachecticus in naturalem & rubicantem tranſivit.

Tertio menſe fere finito infans optime ſanus fuit; ſolus ambulavit; bene dormivit, fiebat pinguis, & poſt curationem omnia veſtimenta erant ei nimis anguſta & brevia. Hinc uſu cicutæ infans multum increvit, nec unquam malum ſymptoma obſervatum eſt.

CASUS VIGESIMUS QUARTUS.

PUella, quatuor annorum, rachitica, a tribus menſibus utitur cicuta, & jam fere curata eſt.

CASUS VIGESIMUS QUINTUS.

VIrgo, octodecim annorum, jam a quatriennio poſt meridiem ſemper vomuit omnia fere ingeſta, unde fiebat cachectica, & fere contabuit.

Remedia ab aliis medicis & a me data levamen quidem ſubinde attulerunt, verum poſt paucos dies idem malum revertebatur.

Ægra dolorem & pondus in epigaſtrio conquerebatur,

querebatur, tactu percipiebatur quædam tenſio, nulla autem durities.

Tentavi tamen cicutam, & ſpatio quatuordecim dierum vomitus fuit minus frequens; auctæ ſunt vires.

Tertia ſeptimana jam vomitus penitus ceſſavit, verum oriebantur poſt meridiem anxietates, & noctes fiebant inquietæ.

Dedi tunc hauſtum purgantem. Ægra magnum inde levamen habuit.

Poſtea iterum continuavi cicutam & ſub finem menſis ſecundi aderat optima ſanitas, aderant vires optimæ.

Menſes, qui alias pauci erant, inceperuntque ſemper cum multo dolore ad os ſacrum & in ventre, nunc copioſe & liberrime fluxerunt.

CASUS VIGESIMUS SEXTUS.

FOemina, 23. annorum, ingentem tumorem lymphaticum circa totum genu dextrum habuit.

Nec fomenta uſitata, nec emplaſtra nec unguenta, nec remedia interna profuerunt.

Solo autem uſu cicutæ, interno externoque, intra tres ſeptimanas totus tumor diſpulſus eſt.

Bis hoc tempore datum eſt purgans.

Cicuta in hac fœmina copioſiſſimam urinam promovit.

CASUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

OPerarius, qui ab anni fere ſpatio cataractam in oculo ſiniſtro habuit, ſolo uſu cicutæ & decocto radicis bardanæ ſpatio trium & dimidii menſium curatus eſt.

Omni

Omni decimo quarto die datum fuit purgans.

Per ſex ſeptimanas quotidie drachmam unam & dimidiam extracti cicutæ aſſumſit.

Ultimo autem menſe drachmas duas.

Uſu cicutæ hicce homo non tantum viſum recuperavit integerrimum; verum & longe robuſtior factus eſt, & liberabatur ſimul a ſuis doloribus rheumaticis, quibus per totum corpus jam ab octo annis ad omnem temporis mutationem excruciabatur.

CASUS VIGESIMUS OCTAVUS.

VIrgo, 25. ann. poſt morbum acutum ſubito privatur viſu & afficitur vera amauroſi.

Vidi ſæpiſſime mercurium ſublimatum in ſpiritu frumenti ſolutum præter decocta reſolventia ſimili in caſu profuiſſe.

Hunc igitur huic ægræ præbui, ejuſque uſum ſatis largum per duos fere menſes continuavi, verum fructum inde nullum adverti.

Quoniam vero obſervavi ſæpius, cicutam ibi penetrare, ubi ſublimatus non poteſt, hanc vocavi in uſum.

Statim a ſcrupulo ſeu viginti granis per diem incepi.

Poſt tres ſeptimanas frequentes vertigines & ſcintillationes ægra conquerebatur, & ſibi videbatur quandoque lucem & colores diſtinguere.

Verum lucida talia intervalla mox iterum evanuerunt, & caput inde factum eſt vertiginoſum.

Dedi tunc purgans.

Ver-

Verſus finem ſecundi menſis ægra jam obſcure potuit quædam videre, neque a ſcintillatione neque a vertigine adeo frequenter afficiebatur.

Sub initium tertii menſis jam duas drachmas quotidie de extracto cicutæ abſumſit, & viſus fiebat multo melior.

Hac doſi in quintum menſem ægra continuavit, & tunc potuit omnia videre, diſtinguere.

Quamvis larga doſi & longo tempore ſumſerit cicutam, nil unquam inde mali conqueſta eſt, imo augebatur appetitus; increverunt vires, & omnes actiones, alias languidæ, reſtaurabantur.

Menſes debito tempore, & debita copia ſemper habuit.

CASUS VIGESIMUS NONUS.

VIR, quinquagenarius, a trigeſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno podagra laboravit, tophi inde non tantum circa pedum articulationes, verum & in manibus & circa genua orti ſunt, & materies calcaria partes vicinas arroſit, pedum manuumque motus erat admodum difficilis, & genua penitus rigida, ad omnes aëris tempeſtatiſque mutationes diriſſimi dolores has partes occuparunt, & cogebatur tunc per plures dies æger lecto inhærere.

Nec balnea, nec remedia interna externave, quibus æger hucuſque utebatur, profuere.

Dedi cicutam & ſerum lactis, externe nil applicui.

Spatio quinque ſeptimanarum & omnes to-

phi ſoluti ſunt, & rediit membris mobilitas, nec aëris mutatio magnos dolores amplius produxit.

Feci tamen æger adhuc mediocri doſi cicutam per aliquot ſeptimanas continuaret & copioſum hauriret ſerum lactis.

Diſſipatis autem tophis & materia podagrica conquerebatur per plures dies ingratam, & ad minimum motum valde dolentem ſenſibilitatem circa articulos & loca, quæ a materie cretacea & tophis alias obſidebantur.

Juſſi igitur, quoniam tempus vernale erat, ut balnea Rodaunenſia adiret.

Rediit inde pinguis, totus quadratus, robuſtus, ſanus, & omnem aëris injuriam citra dolorem tulit.

CASUS TRIGESIMUS.

FOemina, ſexagenaria, a viginti aliquot annis peſſima podagra afficiebatur, quæ ſenſim per totum corpus diſperſa fuit, & occupavit omnes articulos excitavitque tophos & cretaceos tumores.

Nunquam hæc ægra per integras quatuor ſeptimanas a dolore libera fuit, iſque fuit ſemper tantus, ut ægra nec pedem nec manum potuerit movere, nec cibos ori adferre, ſæpius præ nimia doloris acerbitate ſibi mortem optavit.

Dedi cicutam & infuſum florum ſambuci, & quarta ſeptimana, qua his utebatur, non tantum potuit ambulare in cubili, ſed exivit extra domum, & alios inviſit.

Brevi dein omnes tophi & tumores diſſi-

diſſipati ſunt integre; manus antea ob tumores cretaceos difformes jam erant iterum tenerrimæ, molles, naturales, pulchræ.

Vires auctæ ſunt, & omnes actiones reſtauratæ.

Nonus menſis jam fere finitus eſt, quo hæc fœmina ab omni dolore immunis & ſana vivit.

CASUS TRIGESIMUS PRIMUS.

VIR, quadragenarius, ab octo annis ſemper tempore verno & autumnali circa pedum articulos advertit tumorem durum, & adeo dolentem, ut orta eſſet febris, & æger debuerit lecto decumbere.

Lecti tamen tepore & remediis diluentibus ſpatio quatuordecim dierum vel quandoque trium ſeptimanarum morbus totus iterum diſſipatus eſt, & vir ſanus potuit dein labores ſuos perficere.

Tempore verno 1760. quo dolores circa pedum articulos iterum debuiſſent oriri, advertebatur levis tantum & obtuſa tenſio, æger ſibi ſuum morbum imminere credidit.

Verum hæc tenſio altero die diſparuit ſubito, & tunc dolor acute punctorius pleuram ſiniſtram occupavit, finxitque morbum vere inflammatorium.

Iteratæ venæ ſectiones & remedia in hiſce morbis uſitata febris quidem impetum diminuerunt, verum dolor manſit æque vivus.

Sanguis e vena miſſus ſemper geſſit cruſtam craſſam, mucoſam, tenacem, variegatam.

Epiſpaſtica, veſicantia, aliaque pedibus applicata, ut dolorem a thorace verſus loca conſueta revellerent, nil juverunt.

Febris tandem penitus deſiit, licet dolor manſerit continuus & vehemens.

Quoniam autem conſideratis omnibus ſymptomatibus conſtabat morbum hunc adeo pertinacem a materie, quæ alias pedes invaſit, productum fuiſſe, & quoniam multiplici experientia didici in ſimilibus morbis ad diſſolvendam materiem ſeroſam, acrem, ſpiſſam, tenacem, cicutam multum valere, eam tunc adhibui præter decoctum ſaturatum radicis althææ.

Externe nec ad pedes, nec ad locum dolentem quidquam applicui.

Tertio die minuebatur dolor punctorius, & articuli pedum ſudarunt, & afficiebantur obtuſo dolore.

Quinto die cœpit æger ſputa reddere, & dolor fuit longe mitior, circa pedum articulos autem nec dolor nec tumor advertebatur.

Duodecimo die æger jam lectum deſeruit, & vix amplius ſenſit dolorem, ſputa glutinoſa continuarunt copioſe prodire.

Decimo tertio die nox fuit anxia, æger fuit debilis, & occupavit ingens dolor dilacerans totum ejus corpus, & omnia membra; tandem ſequebatur ſudor tenax, fœtidus, largus, & poſtero mane æger optime habuit, fuit agilis, appetiit, & vires erant bonæ.

Infuſo florum ſambuci, quod ſero lactis parabatur, & parva cicutæ doſi, ut per tres

adhuc ſeptimanas hicce vir uteretur, ſuaſi; rediit dein ad me ſaniſſimus, robuſtus, vegetus, & egit gratias.

CASUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

Fœmina, 23. annorum, a quatriennio in utraque mamma durum & pugno viri majorem tumorem geſſit, nec unquam his in partibus ſenſit dolorem.

Ante decem menſes nupſit & gravida facta eſt.

Quarto graviditatis menſe intumuerunt ambæ mammæ, dolor in iis magnus oriebatur, & color naturalis in profunde rubrum abiit.

Omnes, qui has mammas viderunt, optimæ fœminæ cancrum peſſimum præſagiebant.

Tandem me acceſſit, horrui ab initio & nolui dare cicutam, quoniam eam in gravidis nondum tentavi.

Verum tamen, quum & innumeris experimentis novi, nullas inde in corpore turbas excitari, & infantes cicutam impune ferre, incepi a leni doſi.

Brevi magnus ſequebatur effectus, prodiit urina craſſa, albicans, mucoſa flocculenta.

Quarto die jam mammarum color fuit naturalis, tumor minor, mollior.

Auxi dein cicutæ doſin & ſpatio unius menſis jam drachmam dimidiam quotidie dedi, nec dein opus fuit, ut plus darem, nam quotidie magna in melius mutatio obſervabatur,

& octavo graviditatis menſe mammæ ambæ fuerunt penitus naturales.

Sub uſu cicutæ hæc fœmina longe ſanior fuit quam antea, liberata eſt a frequenti vomitu & a continua cephalalgia, quibus ante uſum cicutæ multum vexabatur.

Nullam in hac gravida fœmina turbationem obſervavi.

Alvus prodiit quotidie naturalis, urina fluxit longe copioſior, flocculenta, mucoſa, tunc autem minus copioſa prodiit, & habuit colorem penitus naturalem, dum mammarum tumores erant diſpulſi, licet adhuc per aliquot dies cicutæ ſat fortis doſis fuiſſet data.

CASUS TRIGESIMUS TERTIUS.

VIrgo, 24. annorum, toto corpore, præſertim vero circa articulos ſeroſo, ſubflavo tumore erat inflata.

Integro quinquennio ea omnia adhibuit, quæ artis medicæ magiſtri conſuluerunt, nil tamen inde levaminis percepit, imo vires diminutæ ſunt, oriebatur ſicca tuſſicula, & membra omnia fiebant immobilia.

Ego quoque diverſa remedia incaſſum in hac ægra tentavi.

Demum eam uſu cicutæ & ſero lactis intra menſis ſpatium ſanavi.

Statim in principio cicuta excitavit magnum appetitum, dein promovit urinam admodum copioſam, ſubviridem, cum ſedimento craſſo, tenaci, glutinoſo.

Tumor

Tumor per totum habitum corporis jam duodecimo die abfuit; ille vero circa articulos fuit paulo pertinacior.

Hæc ægra purgante opus non habuit, etenim a cicuta bis quotidie ſolvebatur alvus.

CASUS TRIGESIMUS QUARTUS.

VIR, quadraginta ſeptem annorum, a ſeſqui anno tumorem durum, ſcirrhoſum, pugno virili majorem in ſcroto geſſit.

Teſticuli ambo erant immunes, ſani.

Tumor hicce a gonorrhæa, ſubito per injectionem adſtringentem ſuppreſſa, originem habuit.

Remedia mercurialia fortiſſima, ipſa ſalivatio, decocta antivenerea, fomenta externa & emplaſtra nil prorſus juverunt.

Hæc dum vidi, cicutam dedi, & copioſum decoctum radicis bardanæ.

Quamvis autem jam vigeſimo die integram drachmam quotidie cœperit æger abſumere, nulla tamen in tumore mutatio adhuc obſervata fuit.

Trigeſimo die dedi drachmam unam cum dimidia de extracto cicutæ.

Trigeſimo tertio die mollior erat tumor & æger bene ſe habuit.

Trigeſimo ſexto die dedi purgans mercurio dulci miſtum.

Quadrageſimo die æger jam aſſumſit drachmas duas de extracto cicutæ quotidie, & tumor fuit minor.

Hac

Hac doſi interponendo omni decimo quarto die lene purgans mercuriale in quintum menſem continuavi, & tunc erat tumor penitus diſſolutus, & homo integre ſanus.

CASUS TRIGESIMUS QUINTUS.

JUvenis, 19. annorum, lue venerea peſſime erat exulceratus per totum corpus, oſſa utriuſque tibiæ erant profunde carioſa.

Remedia antivenerea cujuſcumque generis nocuerunt, & vires debilitatæ ſunt, & jam aderat ſumma macies.

Dum hicce æger meæ curæ traditus fuit, mihi omnes curandi methodos expoſuit, dubitavi: an fors recta doſi & debitis cautelis remedia antivenerea fuiſſent adminiſtrata.

Varia igitur iterum tentavi, verum actum egi.

Dominus Haffner, optimus mei noſocomii chirurgus, & ego tunc concluſimus tentare cicutam.

Externe igitur ulcera & loca carioſa linteis carptis fomento cicutæ madidis deligata fuerunt, interne datum eſt extractum cicutæ & largum decoctum radicis bardanæ cum tertia parte lactis.

Intra paucos dies magna in melius mutatio contigit, & vires increverunt.

Sub finem ſecundi menſis jam omne carioſum erat optime ſeparatum & ulcera plura obducebantur firmiſſima cicatrice.

Dolores, qui ægrum tota nocte atrociſſime divexarunt, jam ſiluere penitus.

Finito

Finito tertio menſe optima videbatur adeſſe ſanitas; nulli obſervabantur dolores; vires erant bonæ.

Mediocris cicutæ doſis ad curandum hunc pertinaciſſimum venereum morbum ſuffecit.

Maxima doſis intra 24. horas fuit drachma una.

CASUS TRIGESIMUS SEXTUS.

JUvenis, 13. annorum, tinea capitis peſſima, & contra omnia remedia rebelli jam per quinque annos laboravit.

Tandem dedi decoctum radicis lapathi acuti & extractum cicutæ, & totum caput bis quotidie decocto cicutæ, quod lacte fiebat, curavi lavari.

Hac ratione intra ſex ſeptimanas integre ſanatus eſt.

Erat hicce juvenis antea pallidus, totus cachecticus, macilentus, & inani tuſſi ac continuo in pectore ardore afficiebatur.

Hæc autem ſymptomata uſu cicutæ omnia evanuerunt.

CASUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

JUvenis, 16. annorum, ſartor, ſcabie fœdiſſima ante biennium afficiebatur.

Dato unico purgante remedio, mox unguenta adhibebantur, quibus ſcabies retropulſa fuit.

Nata eſt propterea anxia reſpiratio & tuſſis convulſiva

Tentata quæcumque parum profuerunt, & juvenis, fere conſumptus febre lenta, tandem fertur ad meum noſocomium.

Obſervavi ſæpiſſime cicutam in ſcabie cutanea maxime pertinaci mira præſtitiſſe, experiri igitur quoque volui, quid in ſcabie retropulſa poſſit.

Exhibui itaque ſaturatum decoctum radicis althææ & extractum cicutæ, totumque corpus bis quotidie feci lavari lacte tepido, in cujus libris quatuor uncia dimidia ſaponis veneti ſoluta fuit.

Poſt octo circiter dies per univerſum corpus oriebatur pruritus admodum ingratus, & proruperunt puſtulæ rubicantes, acri humore repletæ.

Reſpiratio tunc facilior fuit, & tuſſis minus frequens, & æger noctu jam tranquille dormivit, & cœpit ſputum glutinoſum prodire.

Quamvis totum corpus ſimilibus puſtulis fuerit obſitum, juſſi tamen bis quotidie lavaretur.

Circa decimum diem multæ tales puſtulæ iterum evanuerunt, aliæ autem ruptæ ſunt, & fuderunt ſerum acre, & naſcebatur cruſta fuſca, ſcabra, rediitque ſcabies talis, quali ante biennium æger laboravit.

Capitis pars capillata quoque exulcerata eſt.

Tunc æger liberrime reſpiravit, ſputa copioſa rejecit; febris lenta penitus deſiit, & auctæ ſunt vires.

Drachmam dimidiam extracti cicutæ tunc per diem exhibui, & quoniam vidi hanc doſin ſufficere, nolui amplius eam augere.

Corpus

Corpus totum bis quotidie lacte & ſapone veneto lotum eſt.

Vigeſimo die æger ſat bene ſe habuit, verum ſputa prodibant minus copioſa, licet in pectore audiretur ſtrepitus materiæ mobilis.

Hinc loco decocti radicis bardanæ tunc dedi infuſum ſtipitum dulco-amaræ.

Hoc infuſo, & extracto cicutæ & lotione externa, ſedulo continuata, non tantum pectus ab omni acri & glutinoſo liberatum fuit, ſed & ſcabies fœdiſſima, quæ ſub uſu cicutæ renaſcebatur, intra binos fere menſes integre curata eſt, & juvenis optimam ſanitatem obtinuit.

Hi ſunt præcipui caſus, quos ex mea propria experientia adducere volui.

Nimis longus & forſan tœdioſus forem lectoribus, ſi plures adhuc caſus enarrarem.

Scrophuloſos, ſtrumoſoſque fere innumeros ſola cicuta curavi.

Vidi fœminas toto corpore optime formatas, habentes faciem pulcherrima imagine pulchriorem, verum glandula thyroidea iis dura fuit, & ſolito longe major, hinc habebant vitium, quod in hominum oculis maximam venuſtatis lucem obſcuravit.

Talibus plerumque cicuta profuit, dum tumor ab obſtructione vel infarctione ortus erat.

Leviores in mammis, ſub axillis, in inguinibus, in vagina uteri, & ipſo utero ſcirrhos ſola cicuta ſolutos hic non memoro.

Obſtructiones indurationeſque hypochondriorum atque varios in diverſa abdominis

regione tumores hoc unico remedio vix non ſemper diſſipavi.

Fœmina, ſexaginta aliquot annorum, a ſedecim annis ultra viginti tumores duriſſimos, quorum quilibet magnitudine ovum anſerinum æquavit, per totum abdomen diſperſos, habuit.

Diverſa remedia nil juverunt, & malum ſenſim adeo increvit, ut urina fuerit ſuppreſſa, & ut catheter debuerit applicari ſæpius.

Sumpta cicuta liberrime prodiit urina; auctus eſt appetitus & redierunt vires.

Imo quidam tumores emolliti ſunt, & exſtillavit multa materies purulenta ex utero.

Si ægra abſtinet per aliquot dies a cicuta, mox tenditur venter, retineturque urina, & mala oriuntur ſymptomata.

Quo autem major materiei per uterum copia fluit, eo molliores & minores fiunt quidam tumores, quidam vero immutati perſtant.

Ingens levamen hæc fœmina a cicuta habet, & ſi continuet, fors integre curabitur.

Nec timeo ſuppurationem, quæ lethalem tympanitidem adferret: quoniam materies ſoluta invenit exitum per uterum, neque ulla adſunt reſorptionis ſigna, quæ febrem depaſcentem minitarentur.

In cardialgiis chronicis optimo cum ſucceſſu perfrequenter dedi cicutam, & ſiſtebatur brevi omnis ardor, dolor, omnis vomendi conatus & homines languidi ac emaciati ſub uſu cicutæ optimas recuperarunt vires, & pingueſcebant.

Ceſſarunt quoque inveteratæ cephalalgiæ, aut hemicraniæ annoſæ.

Dum obſervavi circa ſyſtema renale vel uterinum eſſe obſtructiones aut ſeri acris & tenacis ſtagnationes, dedi cicutam, & vidi fere ſemper menſes inde copioſiores fuiſſe, & prodiiſſe ſanguinem magis ſanum, ceſſaſſe diros illos dolores colicos, anxios vomendi conatus, vel & vomitus æruginoſos, diſſipatas eſſe tenſiones dolentes in inguinibus & ad os ſacrum, nec rediiſſe amplius capitis dolores, caligines aut vertigines.

Habui binas fœminas, quæ diriſſimis ſymptomatibus afficiebantur ſemper circa tempus menſtruum, & utebantur jam per plures annos marito, nunquam tamen potuerunt concipere.

Sumpta cicuta non tantum ab his malis integre liberabantur, ſed & fiebant longe alacriores, & ambæ impregnatæ ſunt.

Quid jam amabilis fœmineus Sexus ultra a cicuta petit?

Phthiſin ſerophularem, ſola cicuta & lacte ſæpius curavi; eundem ſucceſſum a cicuta habui in chronicis & pertinaciſſimis anginis ulceroſis, puſtuloſis, ſcorbuticis, ſeroſis, aut ab acri quadam fluxione ortis.

In plurimis morbis deſperatis, in quibus vidi remedia optima, continuo uſu & longo tempore adhibita nil profuiſſe, tentavi cicutam, & hac ſæpenumero ſalutem adtuli.

Hydrops, ab induratione viſcerum abdominalium ortus, ſæpe ſoli cicutæ ceſſit; ſæpe

 & alia

& alia remedia ſimul requirebantur, ſæpe tamen nequaquam poterat curari.

Annoſam arthritidem, inveteratos rheumatiſmos, ſpinam ventoſam, luem veneream, ſurditatem, melancholiam triſtiſſimam (a materie) ſcabiem, tineam capitis, ſerpiginem peſſimam, ulcera fœdiſſima, ſinus & fiſtulas maxime pertinaces ſola cicuta plerumque feliciter debellavi, ſanavi.

Obtigerunt tamen & mihi caſus in quibus cicuta non profuit, uſu quamvis longo & larga doſi adhibita.

Virgo, 20. annorum, ob tumorem, pugno virili majorem, ex bucca ſiniſtra ortum, & cum maxilla inferiore firmiſſime concretum ultra dimidium annum cicutæ extractum magna doſi quotidie aſſumpſit, & inde nullum habuit levamen, unde pertœſa abſtinuit.

Alia virgo, 25. annorum, tumorem ingentem, & nigricantem in latere colli dextro a multis annis habuit.

Tentavi cicutam, verum mox oriebatur febris, & ægra fiebat debilis.

Alia tamen remedia contra hunc tumorem exhibita & externe applicata nil quoque juverunt.

Hinc Dominus Collin & ego diverſa ſub forma & minima doſi & additis aliis medicamentis cicutam denuo in hoc ſubjecto voluimus experiri; verum priora mox iterum ſymptomata orta ſunt, & ægra ex uſu cicutæ, quamvis maxime limitato, languit, & angebatur.

Unde

Unde tumor ſibi erat relinquendus.

Fœmina, 42. annorum, in mamma dextra ſcirrhum admodum dolentem a ſex menſibus advertit, ab eo nimirum tempore, quo cœpit, menſtruo fluxu carere.

Chirurgus pro fomento externo ſuadet fœces vini in vino coctas.

Intra biduum ſcirrhus fuit longe major, durior, cutis livuit.

Dein rupta eſt epidermis, & acre, fœtidumque ſerum transſudavit.

Per plures dein ſeptimanas varii chirurgi & medici varia tentarunt.

Verum morbus ſemper fiebat pejor, ægra conquerebatur ſiccam tuſſiculam, & ardorem in pectore, incipiebat noctu ſudare, emaciari.

Tandem ego, in conſilium vocatus, ſuaſi cicutam, decoctum hordei crudi, & copioſum lac.

Vires inde auctæ ſunt; ceſſavit ſudor nocturnus; rediitque appetitus, & mammæ color fiebat rutilus, & durities minor.

Per binos fere menſes ſpes erat optima curandi hanc fœminam.

Dein, neſcio quo caſu, ſubito orta eſt tuſſis, quæ adeo violenta fuit, ut ſanguis ſputo prodierit.

Hinc debebam a cicuta abſtinere, & ægra tandem phthiſi conſumpta eſt.

Alia fœmina, cancro aperto laborans in mamma dextra ex uſu cicutæ melius habuit, & durities exulcerata erat ad minimum $\frac{2}{3}$ minor.

Verum

Verum ſupervenit febris tertiana, quæ vires omnes proſtravit.

Cicutam tunc ilico removi, & larga manu dedi corticem peruvianum.

Febris fugata eſt; redierunt vires, & ex uſu corticis peruviani omnia videbantur meliora.

Hinc corticem per binas ſeptimanas adhuc continuavi.

Acceſſit autem tunc aſthma glutinoſum, quo hæc ægra jam ante tres annos laboravit; ſputa nulla prodierunt; hinc ſuffocata obiit.

Vir ſeptuagenario major, prehenditur apoplexia, unde brachium ſiniſtrum & pes ejuſdem lateris paralyſi afficiebantur.

Magna ſimul tuſſi hicce æger laboravit, & habuit in latere colli dextro tumorem, binis pugnis majorem, ſarcomatoſum.

Dum medici & chirurgi plurima medicamenta ſine effectu, per multos menſes adhibuerunt, relinquebant tandem fatis hunc miſerum.

Et tunc ægrotantis uxor me rogavit, ut accederem.

Vidi ægrum ſenectute & morbo fere conſumptum, difficulter reſpirantem, reddentemque ſputa pauca, difficilia, glutinoſa, tumor colli erat durus, lividus, purpureus & in eo roſit continuus dolor.

Malam ſtatim prognoſin uxori dedi, & nil promiſi, blando tamen ſermone triſtem ſenem erexi, præſcripſique remedia, quæ levamen eſſent allatura.

Prodiit

Prodiit ſputum copioſum, & pectus fiebat magis liberum; vires pauliſper augebantur.

In tumore autem manſit dolor continuus, & augebatur ejus moles.

Hinc ipſe æger inſtitit multis precibus, ut cicutam contra hunc tumorem tentarem.

Novi, cicutam etiam debiliſſimis ſenibus nequaquam nocere, dedi igitur mane & veſperi grana duo; præterea autem continuavi remedia, quæ pectus a ſputo liberarent.

Mirus advertebatur cicutæ effectus; ſputa prodibant copioſa, & magis cocta, & ſpatio paucorum dierum in partibus paralyticis major motus, & ſenſibilitas advertebatur; in tumore dolor eſt multo imminutus, nec amplius fuit continuus, ſed tantum per vices rediit; vires autem auctæ non ſunt, & appetitus manſit deletus.

Doſin cicutæ non auxi.

Menſe circiter elapſo tumor videbatur mollior, reliqua autem erant in priori ſtatu & æger nil fere nutrimenti aſſumpſit.

Nihilominus eum in quartum menſem conſervavi; dein vero omnes vires ex defectu nutrimenti conciderunt, & intra octo dies miſer extinguebatur.

Aliquoties dedi cicutam in cataracta, & longo uſu & forti doſi tandem profui; pluries autem nullum inde in hoc morbo effectum obſervavi.

Circa uteri ulcera cancroſa quatuor habui fœminas, quas cicuta optime ſanavi; plures alias habui, quibus cicuta per aliquot tempus adtulit

adtulit levamen, verum eas nequaquam reſtituit.

Aliis hoc morbo laborantibus cicuta plane non profuit, & fuerant quædam, quæ hoc remedium non poterant ferre, conquerentes inde majores dolores, virium dejectionem, & fluxum ichoris magis fœtidum, acriorem, copioſiorem.

An propterea cicuta proſcribenda? ſimilibus in caſibus non debet dari uſu continuato?

Hæc oportuit candide & ſincere hicce loci adnotare, ne quis poſſet oggerere, me velle meris cicutæ laudibus mundo litterato imponere.

C A P U T III.

Nunc quædam aliorum medicorum obſervata referam, convenit.

ERuditiſſimus Petrus ab Armis, medicus Tridentinus, in humaniſſima ſua epiſtola, quam menſe Auguſto 1760. ad me dedit, ſequentia habet:

,, Interim per me tibi gratias agit ingenio-
,, ſiſſima puella, quam tuo ductu cicuta tua a
,, ſcirrho in mamma ſiniſtra feliciſſime curavi.

Celeberrimus Joſephus Baader, Medicinæ Profeſſor Friburgenſis circa cicutam hæc ſcribit;
,, Ope cicutæ, quam jam officinalem hic feci,
,, intra ſeptem hebdomadas perfectum & aper-
,, tum carcinoma mammæ in fœmina ſanavi.
,, Scirrhi illi ſublinquales admodum dolen-
,, tes in alia fœmina, de qua jam alia occaſione
,, men-

„ mentionem feci, ita modo ſe habent, ut ex „ latere ſiniſtro vix veſtigium amplius adſit, „ ex dextro vero latere ſcirrhus multo minor „ ſit, parumque jam doleat, licet per quatuor- „ decim annos eundem jam mulier ſenſerit.

„ Scirrhum alium in collo, quem juvenis „ jam per decem & ultra annos ad omnia re- „ media rebellem geſſit, intra quinque men- „ ſes uſu extracti & fomenti de cicuta reſolvi.

Celeberrimus Martinus van der Belen, Medicinæ Profeſſor Primarius in Alma Univerſitate Lovanienſi, &c. - - - - „ Quamvis autem eæ, „ quæ in tuo libro exponuntur, obſervationes „ certam fidem ſatis evincant, tibi non diſ- „ pliciturum autumo, ſi & ſucceſſum curæ, „ quam cum cicuta inſtitui, breviter commu- „ nicavero.

„ Quadraginta annorum virgo ante tres cir- „ citer annos, citra cauſam externam ſenſibi- „ lem, ſcirrho in mamma ſiniſtra corripitur, „ cui initio nihil oppoſuit: poſtea vero varia, „ quæ ab aniculis commendabantur, remedia „ applicuit, donec magis aucto tumore, & in- „ creſcente indies doloris vehementia menſe „ Majo 1760. chirurgum advocaverit, qui „ mali imperitus ad maturandum tumorem „ ter de die cataplaſma imponere juſſit, eo „ quidem effectu, ut jam omnia celerius in „ pejus ruerent.

„ Interim nullo capto conſilio ad aperturam „ tumoris nefando auſu proceſſit, ex quo ma- „ lignitas aucta eſt, & ſanguinis profluvium „ aliquoties acceſſit.

„ Tandem menſe Julio accerſitus vidi, horrendo ſpectaculo carcinoma ingentis adeo voluminis latus ſiniſtrum occupare, ut a clavicula ad ultimam coſtam veram, & a ſterni margine uſque ultra coſtarum maximam curvaturam extenderetur, ſubjectis totum accretum.

„ Varicoſæ venæ in ſuperficie digitum fere latæ ſpectabantur, vaſaque arterioſa eum in modum dilatata erant, ut ſingulis pulſibus ſibi commiſſa ponderoſiſſima tumoris moles tota elevaretur.

„ Debilis cæterum & emaciata ægra febre continua hectica laborabat, catameniis tamen ſuo tempore, ut ſemper ante factum fuerat, rite fluentibus.

„ In hoc rerum ſtatu ſpem unicam in cicuta poſui, quam ad tui præſcripti normam, ſenſim aucta doſi, ita præbui, ut ægra indies xxiv. pilulas granorum duorum aſſumeret, impoſito ſimul cataplaſmate ex antiſepticis & cicuta ad pondus omnium.

„ Quo factum eſt, ut poſt aliquot ſeptimanas tumoris tota maſſa gangrænoſa evaſerit, adeo, ut eam iterata ſectione auferre oportuerit, cute, quouſque affecta non fuerat, ſervata.

„ Subjecta ſana apparuerunt, jamque pure diſcreta fuerant, in quo tamen odor, qualis a gangrænoſo tabo ſpirare ſolet.

„ Itaque digeſtiva cum antiſepticis ſuperponenda, pilulas ex cicuta, minuta tamen doſi, continuandas, ſimulque tres corticis

„ peru-

„ peruviani drachmas ſingulo die præbendas
„ juſſi.

„ Brevi omnia ſpem feliciter abſolvendæ
„ curationes fecerunt, tumque ſolis externis
„ præſidiis ulcus eouſque coaluit, ut minima
„ ſaltem apertura, dum hæc ſcribo ſuperſit,
„ nullaque ſub toto curationis tempore fun-
„ goſa propululaverit caro, adeo, ut de inte-
„ gerrima ſanatione ſecura videatur, jamque
„ priſtina officia reſumpſerit, &c.

Summas celeberrimo ac eruditiſſimo huic Profeſſori gratias hic publice ago, quod caſum adeo pulchrum mihi communicare voluerit.

Etenim ex tota hujus morbi hiſtoria nos omnes optime docemur, qua methodo artem noſtram exerceri oporteat.

Nam patet inde: non uni ſemper remedio eſſe fidendum, ſed debere quandoque alia ſimul tum externa, tum interna vocari in uſum, debere quandoque quædam demi, & alia addi, ut optatus eveniat effectus.

Atque ideo ars jubet, medicum eſſe rationalem.

Quandoque inſtrumenta chirurgica in uſum vocanda ſunt.

Doctiſſimus caſtrenſis medicus Dominus Joannes Kollman mihi hæc retulit:

„ Cæterum non poſſum ſatis laudare virtu-
„ tes extracti cicutæ.

„ Habui inter meos ægros militem, qui in
„ hypochondrio ſiniſtro ingentem tumorem,
„ admodum durum, gravantem, dolentemque
„ a longo tempore geſſit.

„ Demum incepit ingeſta omnia vomitu
„ reddere, ſenſitque continuum & acutum do-
„ lorem, & emaciabatur.

„ Pulſum habuit febrilem, elevatum, &
„ propterea ilico venam ſecari juſſi, externe
„ applicui cataplaſmata emollientiſſima, injeci
„ enemata oleoſa, & præſcripſi decocta reſol-
„ ventia, nitroſa, mellita, cum interpollatis
„ paregoricis.

„ Per hæc ſaltem ulteriorem inflammatio-
„ nis progreſſum impedivi, febrem mitigavi,
„ dolorem minui; tumor autem non minor,
„ ſed potius major duriorque factus eſt.

„ Dedi igitur ſerum lectis cum multo ſale
„ polychreſto, & melle, atque pilulas ex ſa-
„ pone veneto, & gummi ferulaceis.

„ Sed diuturno uſu his quoque nil effectum
„ fuit.

„ Tandem deveni ad extractum cicutæ, quo
„ ad drachmas duas forma miſturæ quotidie
„ aſſumpto, ſenſim minuebatur tumor, & poſt
„ menſis ſpatium nec tantillum ſupererat, &
„ æger belliſſime habuit, recuperavit vires, &
„ firmam ſanitatem.

„ Omnes, qui mecum viderunt hunc ægrum,
„ feliciſſimum curæ eventum, atque celerem
„ & fere inexſpectatam cicutæ efficaciam ſatis
„ mirari non potuerunt.

„ Scirrhos inveteratos, & ad omnia reliqua
„ remedia rebelles, in diverſis corporis parti-
„ bus ſola cicuta, uſu interno data, ſæpiſſime
„ reſolvi, &c.

Clariſ-

Clariſſimus Crampagna, Conſiliarius & Archiater Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis CAROLI, Bruxellis multa experimenta uſu cicutæ inſtituit, & fere ſemper felicem vidit effectum.

Iter tamen, quod Viennam erat faciendum, virum hunc doctiſſimum impedivit, quo minus potuerit ipſe omnium curationum exitum exſpectare.

Unde, pro innata ſua humanitate, ſequentes caſus hic Viennæ mihi communicare eſt dignatus:

„ Fœmina, quadraginta quinque annorum, „ a longo tempore ſcirrho, qui ovum galli„ naceum magnitudine æquabat, in mamma „ dextra laboravit.

„ Remedia externa internaque ex conſiliis „ medicorum ac chirurgorum applicata, nec „ minimum præſtiterunt effectum, tandem „ præſcripſi pilulas de cicuta, & ſenſim dedi „ drachmam dimidiam quotidie, externe ap„ plicabatur cataplaſma ex cicuta, & lacte pa„ ratum.

„ Spatio trium ſeptimanarum evanuerunt „ dolores, & ſcirrhus in plures moleculas di„ viſus eſt.

„ Hoc in ſtatu reliqui ægram, quoniam „ Viennam debui proficiſci.

„ Propter idem iter non poteram integre „ finire caſum ſequentem:

„ Fœmina, 50. annorum, venit ad me pe„ titura conſilium contra cancrum apertum, „ quem in mamma dextra gerebat, & ſub „ axilla ejuſdem lateris hæſit ſcirrhus, nuci „ juglandi par.

„ Præſcripſi ſtatim pilulas & fomentum de
„ cicuta, ſcirrho ſub axilla impoſui empla-
„ ſtrum de cicuta, & ulcus cancroſum deliga-
„ batur linteis, carptis, decocto cicutæ ma-
„ didis.

„ Poſt quindecim dies, dum ægram vidi,
„ mirabar ſummopere celerem & ingentem
„ mutationem, quam inveniebam.

„ Etenim ægra jam bene appetiit, tranquille
„ dormivit, nec ullum amplius dolorem pre-
„ cepit, & ipſa fatebatur ſponte, quod ex uſu
„ hujus remedii non tantum actiones omnes
„ inſurgant, & corpus ſuum vigorem recupe-
„ ret, ſed etiam, quod mens inde recreetur.

„ Scirrhus ſub axilla erat, jam perfecte ſo-
„ lutus, diſſipatus.

„ In ulcere cancroſo optimum pus reperi-
„ ebatur.

„ Uſu pilularum de extracto cicutæ, em-
„ plaſtro de cicuta, frictione, & iterata ap-
„ plicatione vaporum aceti ad locum affec-
„ tum integre diſſipavi ſcirrhum admodum
„ magnum, & rebellem, quem virgo, 13.
„ ann. circa aurem ſiniſtram habuit.

„ Fœmina, 30. ann. propter ſcirrhum in
„ mamma conſului bis de die aceti vapores
„ applicaret, & dein imponeret emplaſtrum
„ de cicuta; pro uſu interno præſcripſi un-
„ ciam unam extracti cicutæ in pilulis, grano-
„ rum duorum, ut ægra inde quotidie ſumeret
„ quindecim.

„ Abſumtis his pilulis putavi, alia adhuc
„ doſi forſan opus eſſe, verum fœmina egit

„ gratias,

„ gratias, mihique oſtendit, ſe uſu horum re-
„ mediorum brevi temporis ſpatio eſſe integre
„ ſanatum.

„ Fœmina, 46. ann. cancrum apertum in
„ mamma habuit, cujus progreſſum applica-
„ tione pulveris corticis peruviani jam aliquo
„ tempore impedivi.

„ Mamma præterea tota ſcirrhoſa fuit, &
„ pectori firmiſſime adhæſit.

„ Clariſſimus Manderlier, Conſiliarius & Ar-
„ chiater, collega meus, hanc ægram quoque
„ vidit.

„ Dedimus ei ſtatim pilulas de cicuta, quas
„ Dominus Manderlier Vienna accepit, ſuper
„ tota mamma poſuimus cataplaſma ex cicuta,
„ & ulcus fecimus deligari linteis carptis, forti
„ cicutæ infuſo madidis.

„ Poſt paucos dies videbamus optimam
„ ſuppurationem, mammæ ſcirrhus fuit multo
„ minor, & ægra vix amplius ſenſit dolores.

„ Dum Bruxellis iter Viennam ſuſcepi, vidi
„ hanc fœminam in ſtatu admodum bono, &
„ omnia tendebant in ſanationem.

„ Et doctiſſimus Archiater Manderlier nunc
„ paucis abhinc diebus me litteris certiorem
„ reddidit, ulcus cancroſum optima cicatrice
„ eſſe perfecte conſolidatum, & mammæ tu-
„ morem ſcirrhoſum & cancroſum integre
„ diſſipatum.

„ Fœmina, 45. ann. me conſuluit ſupra
„ tumore ad coſtas ſpurias, qui pugnum viri-
„ lem magnitudine ſuperavit.

„ Magna

„ Magna cum attentione hunc tumorem „ examinavi, & manifeſte obſervavi: materiam in eo eſſe collectam.

„ Præterea una ex his coſtis ſpuriis erat „ valde craſſa, tumida, elevata.

„ Boni effectus, quos ex cicuta ſæpius vidi „ me quoque determinaverunt, ut hoc remedium in hoc quoque caſu tentaverim, &c.

„ Præſcripſi præterea lenes frictiones, & bis „ quotidie aceti vapores applicui, dein tumorem emplaſtro de cicuta texi.

„ His vidi magna cum lætitia, id effectum „ eſſe, ut tumor diſparuerit, & coſta redierit „ ad ſtatum naturalem, &c.

„ Homo, quem alias remediis antiſcorbuticis a peſſimo ſcorbuto aliquoties curavi, „ nunc iterum in eundem morbum incidit.

„ Remedia autem antiſcorbutica nequaquam profuerunt, imo morbus ſemper altiores egit radices, & erat de hujus hominis „ vita timendum.

„ Hoc in ſtatu adhibebatur cicutæ extractum, & æger ex peſſimo morbo optime „ convaluit.

Dexterrimus, Dominus Cambon, Conſiliarius & Primus Chirurgus Sereniſſimæ Ducis Lotharingiæ binos caſus mihi communicavit:

„ Homo, quinquagenarius, a ſex annis habuit ulcus in interna & media cruris dextri „ parte.

„ Ad hoc ulcus curandum multi medici & „ chirurgi plurima artis auxilia tentarunt; aſt „ æger nil omnino levaminis ſenſit.

„ Tandem

,, Tandem menſe Martio 1760. me acceſſit
,, petiturus conſilium.

,, Agnovi ſtatim ulcus cancroſum eſſe.

,, Per tres menſes varia interna, & externa
,, remedia huic ægro præſcripſi, & ego imp-
,, ſemet ulcus mundavi, deligavi.

,, Verum omnis mea opera, quamvis ex-
,, actiſſima & magna cum attentione ſedulo
,, applicata, incaſſum fuit.

,, Ulceris labia manebant livida, calloſa,
,, fungoſa, & venæ in toto ambitu varicoſæ,
,, & nulla omnino in melius mutatio obſer-
,, vata eſt.

,, Arte igitur ulceris labia & totum fun-
,, dum ſatis profunde abſtuli, ut hac ratione
,, fieret vulnus recens & purum, quod ſola
,, conſolidatione opus haberet.

,, Verum hæc operatio æque parum pro-
,, fuit, ac omnia remedia huc uſque tentata;
,, nam prius malum, adhibita licet omni
,, cautela, repululavit.

,, Hoc ulcus jam pro incurabili habui, &
,, miſerum dimiſiſſem ſine ope, niſi tunc
,, temporis mihi innotuiſſet, eſſe experimenta
,, quædam Viennæ edita, quæ demonſtra-
,, bant, cicutam in ſimilibus caſibus mira
,, præſtare.

,, Extractum igitur cicutæ ſtatim exhibui,
,, idque feliciſſimo cum ſucceſſu.

,, Etenim poſt paucos dies lætus vidi,
,, magnas & velociſſimas in melius muta-
,, tiones.

„ Nec ullum malum ſymptoma ſuperve-
„ nit, & ulcus cancroſum, antea adeo re-
„ belle, ſpatio trium ſeptimanarum perfec-
„ tiſſime ſanatum eſt.

„ Antequam hic homo cicuta eſſet uſus,
„ conquerebatur ſemper ſalivam ſalſam,
„ acrem, erodentem; mox autem ſub uſu
„ cicutæ hicce ſapor evanuit, & ſaliva erat
„ inſipida, naturalis.

„ Homo, triginta aliquot annorum, mon-
„ ſtroſum tumorem in collo habuit.

„ Remedia tam vegetabilia, quam mine-
„ ralia penetrantiſſima nil prorſus juverunt,
„ quamvis longo tempore & uſu largiſſimo
„ fuerint adhibita.

„ Solum extractum cicutæ magna doſi in-
„ terne datum tandem hunc pertinaciſſimum
„ tumorem emollivit, diſſipavit.

„ Externe præter emplaſtrum de cicuta
„ nil appoſitum eſt.

Clariſſimus Kaiſin, qui Leodii praxim medicam ſumma cum laude exercet, in doctiſſima ſua epiſtola, ita ad me ſcribit:

„ Ego tuam methodum exacte fui ſecu-
„ tus; a parva doſi ſemper incepi, crederem
„ affirmative reſpondendum eſſe, ad tuam
„ quintam quæſtionem, quæ de remediis
„ purgantibus (an ſub uſu cicutæ conveniant)
„ agit.

„ Etenim fere omni ſeptimana dabam
„ meis ægris purgans, & eis conducebat.

„ Eadem phœnomena ſub uſu cicutæ ob-
„ ſervavi, quæ deſcripſiſti: vidi cutis colo-

„ rem

„ rem lividum abire in rubrum, rubrum in
„ naturalem, dolores ſub initium minuebantur, & tandem ſolo cicutæ uſu ceſſabant
„ penitus.

„ Sanies peſſima convertebatur in pus bonum, durities ſcirrhoſæ dividebantur in
„ molleculas, & dein inſenſibiliter fundebantur, ſubinde vero benigna ſuppuratione
„ conſumptæ ſunt.

„ Vir, ſeptuaginta ſeptem annorum, a triginta annis habuit duritiem indolentem in
„ ſcroto, hæc ſenſim augebatur, & ſupervenit hydrocele.

„ Ego advocabar, & inveniebam ſymptomata, quæ, conſiderata hujus viri ætate,
„ mortem minitabantur.

„ Juſſi tunc advocaretur Dominus Faliſe, chirurgus expertiſſimus, & concluſimus
„ ſtatim dare cicutam, & externe apponebamus emplaſtrum de galbano.

„ Spatio quindecim dierum omnia in melius mutabantur: ægri facies alias plumbea,
„ nunc habuit colorem naturalem, auctæ ſunt vires, & rediit appetitus, & tumor
„ ſcirrhoſus incipiebat ſuppuratione ſolvi.

„ Nos nullam fecimus aperturam, donec ſponte integumenta fuerunt rupta.

„ Pus multum profluxit, aquæ autem recluſæ manebant.

„ Unde has punctione eduximus.

„ Demum benigna ſuppuratione inſenſibiliter totus tumor conſumebatur, integumenta
„ rupta concreverunt cum teſticulo recto.

„ Hicce vir, habita ratione ſuæ ætatis, „ perfecta nunc fruitur ſanitate.

„ Erat autem a ſua juventute nephriticis „ doloribus multum divexatus, ego ei jam „ per tredecim annos remedia, his in caſibus „ uſitata, præſcripſi, & inde ſat commode „ vixit, verum ſemper prodiit urinæ loco „ merum pus, & mucus.

„ Nunc autem poſt uſum cicutæ urina „ prodit facile, & eſt penitus naturalis, ſub- „ inde tantum paucum purulentum ſedimen „ advertitur.

„ Videns, quod remedium nunquam ſani- „ tatem turbaret, & cogitans apud me, dari „ quandam analogiam inter fiſtulas in aliis „ corporis partibus, & inter eas, quæ circa „ anum ſunt, ſtatui cicutam in fiſtula ani „ tentare.

„ Vir, 50. annorum, qui jam a quadrien- „ nio hoc malo laborat, & cui jam dudum „ ſuaſi operationem, quam vero neglexit, „ nunc a tribus menſibus utitur cicuta, & „ evaneſcunt dolores, & materiei fluxus mul- „ tum minuitur.

Clariſſimus medicus Bruxellenſis Joannes van der Belen, &c. hæc habet:

- - - - - - „ Nunc audi, ſi placeat, quod „ pluris eſt, quam omnia: in podagra plu- „ rimorum pulcherrimos vidi effectus.

„ Externe applicui herbam cicutæ lacti „ incoctam, interne dedi cicutæ extractum „ in quadam miſtura dilutum, doſi ſatis „ larga.

„ Ope

„ Ope cicutæ plurimos curavi ſcabioſos, „ ſed cura ſemper admodum tarda fuit, idem „ quoque in rheumaticis mihi contigit.

„ Quoad cataractam incipientem in ambobus oculis, unicam fœminam ruſticam „ habui, quam feliciter curavi.

„ Verum hoc opus, hic labor fuit, aſcendi „ uſque ad drachmas ſex extracti cicutæ ſingulis viginti quatuor horis, ea ſcilicet con„ditione, ut larga manu ſuperbiberet infu„ſum ſummitatum Euphragiæ cum ſemini„bus fœniculi dulcis, & liquiritia.

„ Hæc fœmina a vigeſima ſecunda Aprilis „ uſque ad tertiam Novembris 1760. ſumſit „ extracti cicutæ uncias ſexaginta octo.

„ In phthiſi ſtupendam cicutæ efficaciam „ frequenter obſervavi, quoſdam jam penitus „ deſperatos extracto cicutæ reſtitui.

„ Peſſimis cachectis, in quorum ventricu„lis nimia muci, & glutinis copia ſecerne„batur, extractum cicutæ, junctum cum „ elixiriis ſtomachicis, ſæpiſſime profuit, ubi „ alia remedia, longo tempore adhibita, nil „ prorſus effecerunt.

Hermannus Gleiſner, Græcenſis Phyſicus celeberrimus:

- - - - " En hiſtoriam cancri, a me cicuta „ percurati:

„ Vir, quadraginta aliquot annorum, tem„peramenti cholerici, ab aliquo tempore „ glandulas inguinales tumidas, & dein do„lentes geſſit; has barbi tonſor audacter diſ„cidit, ex vulnere fluxit merus ſanguis ſine

„ pure,

„ pure, oriebatur ingens dolor, & applicatis
„ variis corroſivis, multoque lapide infernali
„ fœdum evaſit ulcus.

„ Poſt integrum fere annum, & applicatis
„ omnis generis medicaminibus æger miſerri-
„ mus lecto jam continuo affixus meam tan-
„ dem opem invocavit.

„ Vidi, ulcus occupare inguen dextrum, &
„ deorſum verſus orificium ani, ſurſum verſus
„ umbilicum exporrigi, aggredique jam ſcro-
„ tum & penem.

„ Labia retorta, ichor cadaveroſus, dolor
„ ingens, frequens hæmorrhagia, & malum
„ ſemper ulterius ſerpens, & ad omnia quæ-
„ que remedia hactenus rebelle, mihi can-
„ crum accuſabant.

„ Conſului deſuper Dominum Buck, dex-
„ terrimum chirurgum, obſtetricumque hic
„ loci magiſtrum, qui etiam ulcus primo in-
„ tuitu carcinomaticum agnovit.

„ Dedi igitur cicutam interne, externe, &
„ viro adeo exhauſto exhibui hydrogalactam
„ pro potu ordinario.

„ Primum erat, quod poſt aliquot dies peſ-
„ ſimam nephytin abire, & tandem omnem
„ locum ichoris vice pulcherrimo madere
„ pure obſervaverim.

„ Demum ad marginem labiorum ulceris
„ nova exorta ſunt ulcuſcula, ipſa labia (quod
„ aſpectu mirum erat) ſenſim & ſenſim ſolve-
„ bantur, tota plaga ulceris magis & magis
„ emolliebatur, & quaſi fundebatur, uſque
„ dum conditionem ſani vulneris induxit.

„ Spatio

„ Spatio quatuor menſium hoc ulcus per-
„ fecte ſanatum eſt.

Diligentiſſimus ac expertiſſimus Dominus Koller, chirurgus, ſequentem mihi epiſtolam ex Bohemia ſcripſit: - - -

„ Fœmina, 36. ann. anno circiter abhinc
„ oriebatur in labio oris inferiore tuberculum,
„ lentis magnitudine.

„ Hoc tuberculum ſenſim augebatur, &
„ tandem, dum nucem avellanam adæquavit,
„ ſupprimebantur menſes, & cutis circa tumo-
„ rem fiſſa eſt, atque transſudavit continuo
„ humor acer.

„ Varia externe applicata ſunt; verum res
„ ſemper in pejorem ſtatum mutabatur.

„ Menſe Novembri 1760. ægra ad me ad-
„ ducebatur: re bene conſiderata, vidi ulcus
„ peſſimum, cancroſum, inveni muſculum
„ orbicularem labii inferioris uſque ad medie-
„ tatem muſculi mentalis ſeu quadrati exul-
„ ceratione cancroſa conſumptum.

„ Uterque angulus oris, præſertim vero
„ dexter jam erat ad pollicis latitudinem ſat
„ profunde exeſus, corroſus.

„ Fœdum erat & nauſeoſum, videre hoc
„ turpiſſimum ulcus; ulceris autem labia un-
„ dequaque fuerunt calloſa, retorta.

„ De amputatione ſerio apud me cogitavi;
„ verum collatis omnibus, vidi vulnus inde
„ oriturum ingens, quod ob neceſſarium muſ-
„ culorum adjacentium motum nequaquam
„ poſſet obduci cicatrice; aut ſi id cicatrice
„ firmaretur, maneret cavum fœdiſſimum,
„ nunquam reparandum.

„ Omiſi igitur operationem, & extractum „ cicutæ ſequenti ratione adhibui.

„ Dedi ſtatim in principio quotidie triginta „ duo grana extracti cicutæ, diluti in miſtura.

„ Et quamvis obſervaverim, jam primis „ octo diebus dolores multum diminutos fu„ iſſe, per integrum tamen menſem eadem „ extracti doſi continuavi.

„ Externe applicui ad totum ulcus lintea „ carpta, ſequenti remedio madida:

℞. Extracti cicutæ dr. ij.
ſolve in aquæ calcis primæ infuſionis Lib. i.

„ Ulcus hac ratione toties deligavi, quoties „ adverti, ſerum acre ex cancroſo ulcere pro„ fluens jam penetrare lintea carpta.

„ Sub initium neceſſe erat, ut & noctu ali„ quoties deligatio renovaretur.

„ Hoc idem remedium externum a princi„ pio ad finem uſque curationis adhibui, ea „ tantum differentia: quod ultimo menſe, „ dum vidi carnes recreviſſe, ulcuſque eſſe „ conſolidationi proximum, applicuerim id „ paulo levius ſequenti modo:

℞. Extracti cicutæ dr. i.
aquæ calcis ſecundæ infuſionis Lib. i.

„ Finito primo menſe jam omnia erant in „ ſtatu longe meliori, ſalivæ profluvium, quod „ antea continuum & copioſum erat, jam vere „ deſiit, ſaniei loco aderat optimum pus, omne „ calloſum ſenſim emollitum, & diſſipatum „ eſt, & ſaniſſimæ carnes unde quaque recre„ verunt, ægra optime dormivit, bene appe-

„ tiit

„ tiit, & quod maximum, rediit fluxus
„ menſtruus.

„ Extracti cicutæ doſim tunc diminui, &
„ loco granorum triginta duorum, dedi tunc
„ quotidie grana viginti quatuor, & hac
„ quantitate iterum per integrum menſem
„ continuavi.

„ Tertio & ultimo curationis menſe,
„ quum omnia optime procederent, dedi
„ tantum quotidie grana duodecim extracti
„ cicutæ, & hæc doſis ad perfectam cura-
„ tionem ſuffecit.

„ Tempore curationis ægram quinquies
„ purgavi, remedio ſequenti:

℞. Pulv. rad. jalap. dr. ſs.
cremor. tart. gr. x.
m. f. pulv. pro doſi.

„ Ab hoc remedio alvus ſemper quinquies
„ aut ſexies mota fuit.

„ Fœmina pauperrima erat, hinc facile
„ patet, qualem diætam potuerit obſervare,
„ ea nimirum aſſumpſit, quæ ab aliis ſponte
„ ex miſericordia offerebantur.

„ Quemadmodum autem ante uſum ci-
„ cutæ ob enormes continuoſque dolores, &
„ ob ingentem ſalivæ deperditionem, tota
„ cachectica, emaciata, & fere conſumpta
„ fuit, ita e contrario poſt curationem fuit
„ pinguis, quadrata, firma, robuſta.

„ Et quod plurimum debemus admirari:
„ omnes partes ulcere cancroſo eroſæ & con-
„ ſumptæ integerrime recreverunt.

„ Cicatrices circa utrumque oris angulum
„ adeo pulchræ, & naturales ſunt, ut fere
„ nihil obſervetur.

„ Labium oris inferius debitam altitudinem
„ recuperavit, & ad ſuperius poteſt bene ad-
„ moveri, paulo tantum anguſtius eſt, quam
„ in ſtatu naturali eſſe deberet. - - - -

Curatio hæc certe pulcherrima eſt, & chirurgus magnam meretur laudem, etenim optimi chirurgi, & medici vices prudentiſſime implevit.

Experientia, judicium & induſtria in arte medica & chirurgica plurimum valent.

Dominus Sebaſtianus Kaim, chirurgus, mihi communicavit caſum puellæ quatuordecim annorum, quæ ulcus cancroſum in latere ſiniſtro habuit.

„ Hoc ulcus ab aure uſque ad medietatem
„ menti ſeſe extendit, & duos pollices ſerpſit
„ infra mentum, verſus ſuperiora ultra os ju-
„ gale aſcendit.

„ Horrendum erat, videre hoc ulcus, ete-
„ nim omnia erant putridiſſima ſanie corroſa,
„ & ad oſſa uſque exeſa.

„ Decocta diverſiſſima, fomenta, & empla-
„ ſtra, ipſa remedia mercurialia & antimo-
„ niata nil profuerunt, & malum ſemper in
„ latum & profundum repſit.

„ Date autem cicuta, & applicato ex ea-
„ dem herba fomento externo perfecta curatio
„ ſequebatur.

Eruditiſſimus Georgius Haſenöhrl, phyſicus ſolertiſſimus in noſocomio Hiſpanico militari:

--- „ Fre-

------ „ Frequentem nactus occaſionem „ experimenta faciendi in ægris, quorum cu- „ ram gerebam in noſocomio, id obſervavi, „ duros annoſoſque colli tumores ope cicutæ „ fuſos, liquatoſque fuiſſe.

„ Inter alios erat miles, qui collum totum „ ob ingentes, & ad omnia remedia rebelles „ ſcirrhos rigidum habuit, ſola tamen cicuta „ integre curatus ex noſocomio diſceſſit.

„ Cancrum occultum in mamma ſiniſtra, a „ cauſa externa ortum, duritie & mole inſig- „ nem diuturno cicutæ uſu penitus curavi.

„ Cancro aperto circa angulum oris ſini- „ ſtrum undique jamjam proſerpenti intra ſex „ ſeptimanas uſu cicutæ frænum injeci, & tri- „ meſtri ſpatio malum eodem remedio fundi- „ tus exſtirpavi.

„ In ſpina ventoſa ſemel iterumque cicutam „ profuiſſe, vidi.

„ In ulceribus cacoëthicis, in ſcabie fœdiſ- „ ſima, inveterata, & maxime rebelli idem „ medicamentum integro cum ſucceſſu pluries „ adhibui.

Joſephus Quarin, perſpicaciſſimus apud fratres miſericordiæ Phyſicus & Cæſ. Reg. ſanitatis Conſiliarius, &c.

------ „ Multos ſola cicuta curavi inte- „ gerrime, qui annoſa arthritide, aut rheu- „ matiſmo laborarunt, quique plurima reme- „ dia hucuſque incaſſum tentarunt.

„ In tumoribus arthriticis pulcherrime pro- „ deſt decoctum cicutæ, ſi pars affecta ei im- „ mergatur.

„ Pertinaciſſimos parotidum, glandularum „ colli, ſubaxillariumque, &c. ſcirrhos ſolo „ extracto cicutæ facile, & cito ſæpius diſſi- „ pavi.

„ Dedi autem plerumque his ægris ſtatim „ in principio largam doſin, alvus quandoque „ inde cum euphoria movebatur; externe in „ aliquibus appoſui emplaſtrum de cicuta.

„ Inter alios vir, 32. annorum, ſurdus, in- „ gentes ſcirrhoſas & fere lapideas parotides „ habuit, & glandulæ colli erant quoque ſcir- „ rhoſæ, & adeo magnæ, & penetrantes ver- „ ſus interiora, ut reſpirationem fecerint labo- „ rioſam.

„ Hunc ſolo extracto cicutæ, & fomento „ ex eadem herba parato, optime reſtitui.

„ Etenim omnes tumores diſparuerunt, & „ rediit auditus, & reſpiratio erat ſanorum ſi- „ milis, & homo antea emaciatus, ſub uſu ci- „ cutæ recuperaverit carnes, & vires.

„ In tuſſi pertinaci cum levi pulmonum „ ulcere pulchrum effectum mihi edidit ci- „ cuta.

„ In binis progreſſum cataractæ impedivi ope „ cicutæ, ſed cataractam inde diminui non vidi.

Leopoldus Auenbrugger, medicus vigilantiſſimus in noſocomio nationum:

- - - - - - „ Scrophuloſos valde multos ex- „ tracto cicutæ percuravi, neque horum hi- „ ſtorias longius explicandas putavi, quia re- „ medii præſtantia in hoc genere mali aliunde „ ab tuis aliorumque experimentis iterum ite- „ rumque confirmata fuit.

„ Unius

„ Unius tamen ſcrophuloſi hiſtoria mihi no-
„ tatu digniſſima videtur.

„ Militi, cui ſubmaxillares glandulæ omnes
„ duro tumore vehementer turgebant, obtuli
„ extractum de cicuta eadem, qua propoſuiſti
„ methodo.

„ Levamen notabile inde conſecutus eſt
„ æger; atque ideo idem remedium repetii.

„ Sanitatis ſuæ citius recuperandæ cauſa ſe-
„ cum reputavit æger: quod ſi pilulas in ma-
„ jori numero frequentius caperet, citius ad
„ ſanitatem rediturus eſſet.

„ Inſcius ego ſuæ intentionis feci ex uncia
„ dimidia prædicti extracti formari pilulas gra-
„ norum duorum, ut per plures dies ſufficerent.

„ Sed en! has pilulas ſpatio unius diei bona
„ fortuna devoravit, eo effectu, ut ſine ullo
„ incommodo vel dolore ultra quinquageſies
„ per triduum dejiceret, totuſque tumor intra
„ hoc tempus diſparuerit ſic, ut præter admo-
„ dum parva veſtigia induratarum glandula-
„ rum nil fuerit relictum.

„ Toroſus & juvenis iſte æger vigeſimum
„ quintum annum nondum ſuperavit.

„ In cancroſis, cacoëthicis, gangrænoſis ul-
„ ceribus ſæpius extractum cicutæ optimo
„ cum effectu exhibui.

„ Et vidi hujus remedii uſu partes gangræ-
„ noſas longe citius ſeparari a ſanis, quam uſu
„ corticis peruviani.

„ Fœminam gravidam, quæ aperto in
„ mamma cancro laboravit, ope cicutæ op-
„ time ſanavi, & peperit infantem ſanum.

„ Mamma

„ Mamma tamen ob exiguam ſuam mo-
„ lem, & ob fœdam cicatricem ad lactandum
„ infantem inepta eſt.

„ Verum ex ſana mamma infans ſanus, &
„ roboſtus egregie ſugit.

Doctiſſimus Joſephus Henricus Collin, meus in noſocomio Pazmariano Collega, præter alia experimenta, quæ circa varia vegetabilia, hucuſque minus uſitata, optimo & miro cum effectu in caſibus difficillimis inſtituit, quæque in proximo anno medico litteratis ſincere & candide communicabit circa cicutam hæc habet:

- - - - - „ Scirrhos ingentes, annoſos, do-
„ lentes, circa parotides, ſub axilla, in collo,
„ in mammis, &c. ſolo cicutæ uſu interno,
„ externoque ſolvi, diſſipavi.

„ Ulcera ſanioſa, ſerpentia, cancroſa, & ad
„ omnia remedia rebellia, inde optime ſanata,
„ & fiſtulas, profunde penetrantes, clauſas ſæ-
„ pius vidi.

„ Magnos ad genua tumores, quos alii me-
„ dici, & chirurgi pro incurabilibus declara-
„ runt, ego & Dominus Haffner, expertiſſi-
„ mus in noſtro noſocomio chirurgus, ſola ci-
„ cuta pluries integre diſpulimus.

„ Et rediit hujus articuli optima mobilitas,
„ & uſus pedis, imo pedes antea emaciati diſ-
„ pulſo hoc tumore iterum toroſi fiebant.

„ Materiem fluctuantem dum in his tumo-
„ ribus latere obſervavimus, cultello excitus
„ parabatur.

„ Sinus,

„ Sinus, & fiſtulas, & cavitates, quandoque „ in his tumoribus latitantes, ſaturato cicutæ „ infuſo ſæpius per diem eluimus, & externe „ cataplaſma ex cicuta paratum, continuo ca- „ lidum, applicuimus.

„ Datum præterea ſubinde eſt purgans.

„ Hac ratione deſperatiſſimos ægros inte- „ gerrime ſanavimus.

„ Oſſa tamen ſi circa has articulationes cor- „ rupta, & integre corroſa fuerunt, in ſtatum „ naturalem redigere non potuimus, hinc qui- „ buſdam diſpulſo tumore articuli mobilitas „ non rediit, licet circa reliqua ſymptomata „ optimum ſenſerint levamen, & vires recu- „ peraverint.

„ Plurimi horum ægrorum erant cachetici, „ & cœperunt contabeſcere, his autem malis „ ſola cicuta brevi quoque medebatur.

„ Famoſi quidam ex noſtris chirurgis tu- „ mores lymphaticos nolunt aperire, dicentes „ ægros citius tumore aperto mori.

„ Hinc tales tumores pelle leporina tegunt, „ & ægros ſine ſolatio relinquunt fatis.

„ Verum quidem eſt, apertis his tumoribus „ magnam lymphæ copiam effluere, & per- „ petuo hujus lymphæ ſtillicidio poſſe tales „ ægros conſumi.

„ Nullo hucuſque remedio hi chirurgi no- „ verunt tale ſtillicidium compeſcere, & fac- „ tum vulnus curare.

„ Ego autem & Dominus Haffner ad vul- „ nus arte factum lintea carpta infuſo cicutæ „ madida applicuimus, & interne dedi cicu-

„ tam,

„ tam, & lac recens, atque hac methodo om-
„ nes reſtituimus.

„ Inter alios caſus maxime dignus eſt unus
„ de puella octo circiter annorum, quæ a tri-
„ bus annis ingentem tumorem lymphaticum
„ ad femur dextrum geſſit.

„ Hicce tumor ſemper increvit, puella in-
„ cidit in febrem hecticam, & jam erat tota
„ emaciata, languida & morti proxima.

„ Medici hanc jam deſeruerunt, & chi-
„ rurgi annoſi, & ex multa praxi periti, hujus
„ tumoris aperturam ſummopere prihibu-
„ erunt.

„ Nihilominus doctiſſimus Dominus Haff-
„ ner & ego ex multis feliciſſimiſque caſibus
„ audaciores, anceps tentavimus remedium.

„ Dominus Haffner me præſente pertudit
„ tumorem, & effluxerunt octo libræ ſeri ſatis
„ acris.

„ Sinus & fiſtulas profunde penetrantes un-
„ dequaque invenimus, unde caſus adhuc erat
„ difficilior.

„ Data tamen cicuta, factiſque aliquoties
„ per diem injectionibus ex infuſo cicutæ, &
„ applicatis linteis carptis eodem infuſo ma-
„ didis intra paucas ſeptimanas hanc puellam
„ perfecte curavimus.

„ Ex hoc caſu patet ignorantia chirurgo-
„ rum aut medicorum poſſe quandoque vitæ
„ dies abreviari, vera autem ſcientia medica
„ eoſdem poſſe prolongari.

„ Si tumorem non aperuiſſemus, ſi remedia
„ convenientia non fuiſſent applicata, hæc
„ puella

„ puella certo certius intra paucos dies obi-
„ iſſet.

„ Multos ſcabioſos, arthriticos, & rheuma-
„ ticos, ubi jam alia quæcunque remedia nil
„ juverunt, ſola cicuta interne, externeque
„ adhibita, feliciſſime ſanavi, & membris ri-
„ gidis, ac immobilibus hac ratione rediit
„ mobilitas.

„ Fœmina, penitus emaciata habuit mam-
„ mam ſiniſtram mole ingentem & ſcirrho-
„ ſam, & plura cancroſa, fungoſa ulcera hanc
„ mammam ſat profunde exederunt, profluxit
„ ſanies copioſa acerrima, cadaveroſa, & do-
„ lores rodentes ac lacinantes, dies noctesque
„ inquietas, & anxias reddiderunt.

„ Symptomata omnia adeo mala, viresque
„ adeo parvæ erant, ut vix ulla curationis ſpes
„ ſuperfuerit.

„ Nihilominus dato extracto cicutæ, & ex-
„ terne applicato cataplaſmate ægra non tan-
„ tum a ſcirrhoſa mole, ſed & a cancro aperto
„ integerrime liberata eſt.

„ Ipſæ glandulæ ſubaxillares ejuſdem lateris
„ erant quoque ſcirrhoſæ dolentes.

„ Hæc ægra curationis tempore multum
„ lac, aqua pura, vel decocto quodam emol-
„ lienti dilutum, bibit.

„ Celeberrimus Anatomiæ Profeſſor, Lau-
„ rentius Gaſſer, Clariſſimus Sereniſſimi Ducis
„ Lotharingiæ Archiater Crampagna, exactiſ-
„ ſimus ac dexterrimus Chirurgus Cambon,
„ Dominus Leber, &c. hanc ægram periculoſe
„ decumbentem, dein curatam viderunt.

„ Lætabar vehementer, dum hi viri in arte
„ maxime inſignes me meumque noſocomium
„ ſua præſentia alioquoties honorarunt, & te-
„ ſtabantur ſemper ſe admodum contentos,
„ dum caſus numeroſos miroſque, & curas
„ feliciter procedentes, conſpexerunt.

Diligens, perſpicax, & ad omnem operationem aptiſſimus chirurgus Dominus Ferdinandus Leber multam impendit operam ad experimenta uſu cicutæ facienda, & ſequentia ad me retulit.

„ Fœmina, 35. ann. ex contuſione habuit
„ mammam dextram admodum, tumidam,
„ duram.

„ Uſa eſt variis remediis ſine effectu, &
„ acceſſit demum ingens dolor, & papilla,
„ corrupta, decidit.

„ Præterea hæc fœmina gravida fuit.

„ Me dum acceſſit dedi pilulas de cicuta
„ & externe applicui emplaſtrum diapomphol.
„ & dolores inde brevi ſedabantur.

„ Poſt quatuor ſeptimanas mamma fuit
„ melior; verum ægra conquerebatur verti-
„ gines, pectoris appreſſiones, & inſomnia;
„ hæc autem ſymptomata ex plethora prove-
„ niebant, hinc unica venæ ſectione ſopie-
„ bantur.

„ Nona ſeptimana, qua pilulas aſſumpſit,
„ peperit infantem ſanum.

„ Toto puerperio aſſumpſit pilulas, & ex-
„ terne applicatum eſt emplaſtrum diapomph.
„ infans ſemper ſanus erat, & ex mamma
„ ſana lac ſugebat, & mamma affecta, finito

„ tertio

„ tertio menſe fuit multo minor, & exul-
„ ceratio circa papillam tendebat in ſanatio-
„ nem.

„ Quarto menſe copioſus ſanguis ex papilla
„ profluxit; ſiſtebatur autem applicato fungo
„ agarico quercino.

„ Omnia fiebant ſemper meliora.

„ Quinto menſe applicui externe fomentum
„ ex æquali parte cicutæ & florum ſambuci.

„ Octavo menſe fœmina erat integre cu-
„ rata.

„ Vir, 61. annorum, temperamenti ſcor-
„ butici, tumorem habuit in bucca dextra ex
„ contuſione, hunc diſſipavi remediis antiſcor-
„ buticis, & uſu pilularum de cicuta.

„ Vetula, 75. annorum, a terrore ſenſit in
„ mamma ſiniſtra dolorem, & paulo poſt
„ mamma intumuit.

„ Applicuit ſupra totam mammam buty-
„ rum recens, unde & tumor, & dolores
„ aucti ſunt.

„ Variis dein uſa remediis nullum levamen
„ percepit.

„ Dum me acceſſit, dedi ilico octo pilulas
„ de cicuta per diem, & appoſui externe em-
„ plaſtrum de cicuta.

„ Spatio unius menſis dolores ceſſarunt, &
„ tumor fuit minor.

„ Continuato dein pilularum uſu, & aucta
„ ſenſim doſi ſexto menſe mamma tota in
„ ſtatu naturali fuit.

„ Puellæ, 11. annorum, per totum collum
„ ſcrophuloſæ, ultra medium annum dedi quo-

„ tidie quindecim pilulas de cicuta ſine ullo
„ effectu, emanſit tunc, & adiit alios chirur-
„ gos, & medicos.

„ Dum vero neque ab his quidquam in
„ melius mutatum fuit, rediit denuo ad me.

„ Juſſi iterum, ut pilulas de cicuta aſſume-
„ ret, & biberet deſuper infuſum florum ſam-
„ buci, & verbaſci.

„ Et dein ſpatio quatuor menſium curata
„ eſt.

„ Puella, quæ per plures annos cancrum ad
„ naſi apicem habuit, pilulis de cicuta integre
„ curata fuit.

„ Id autem in hoc caſu notandum, quod
„ hæc puella ſub initium, dum pilulæ ex ci-
„ cuta dabantur, frequenter vomuerit, atque
„ diarrhæa fuerit correpta.

„ Poſtea vero ſat largam harum pilularum
„ doſin ſine ullo incommodo tulit.

„ Fœmina, 60. annorum, cataracta labo-
„ rans in utroque oculo, data cicuta intra
„ quinque menſes perfecte vidit.

„ Vir, 40. annorum, amauroſi poſt mor-
„ bum acutum afficiebatur, plurima adhibita
„ remedia nihil juverunt.

„ Dedi dein cicutæ pilulas, & poſt tres
„ menſes cœpit lucem diſtinguere, & pauliſ-
„ per videre.

„ Decimo menſe jam iter trium horarum
„ ſolus ſine duce confecit, interim omnia di-
„ ſtincte videre nondum potuit.

„ Decimo ſexto menſe ex ſolo uſu cicutæ
„ integrum viſum habuit.

„ Fœmina,

„ Fœmina, 40. annorum, per binos annos „ habuit cancrum apertum ad palpebram „ dextram inferiorem.

„ Dedi pilulas de cicuta, per diem appli- „ cui externe fomentum de cicuta.

„ Quarto menſe erat integre curata.

„ Vir, 44. annorum, a quatuor annis jam „ peſſima gonorrhæa laboravit, & vires om- „ nes amiſit, noctes habuit inquietas, in- „ ſomnes ob febrem depaſcentem, quæ omni „ veſpera vehemens fuit.

„ Omnia jam remedia, maxime alias effi- „ cacia, in hoc ægro ſine levamine tentata „ ſunt, imo quæ pro ſpecificis in hoc morbo „ alias habentur, lentam tabem adtuliſſent „ uſu diuturno.

„ Dedi igitur extractum cicutæ, & infu- „ ſum florum ſambuci cum lacte.

„ Intra paucos dies malum emendatum „ fuit, auctæ ſunt vires, increvit appetitus, „ noctes fiebant tranquillæ.

„ Sexto menſe ex his ſolis miſerrimus „ æger integre convaluit, fuit robuſtus, pin- „ guis.

„ Fœmina, 30. annorum, poſt ſubitum in „ puerperio terrorem ſenſit illico in mamma „ dextra dolorem vehementem, dein mamma „ rubuit, & valde dura facta eſt.

„ Pluribus uſu remediis ſemper pejus ha- „ buit.

„ Dum me acceſſit, vidi mammam totam „ ſcirrhoſam, & paulo infra papillam inveni

„ locum

„ locum mollem, in quo materiem purulen-
„ tam ex fluctuatione judicavi latere.

„ Applicui tunc fomentum ex anatica
„ parte herbæ cicutæ, florum ſambuci, &
„ verbaſci.

„ Poſt paucos dies rumpebatur pars mollis
„ & effluxit copioſum pus.

„ Reliqua tamen mamma manſit valde
„ dura, & dolens.

„ Nihilominus eodem fomento, ſedulo ap-
„ plicato & datis pilulis de cicuta, mamma
„ perfecte emollita, & ſanata fuit.

„ Hæc fœmina jam a tribus annis habuit
„ quoque tumorem in hypochondrio ſiniſtro,
„ quem ſingulo menſe, dum catamenia in-
„ ſtabant, tantus dolor occupavit, ut ægra
„ debiliſſima debuerit per aliquot dies lecto
„ inhærere.

„ Verum ex pilularum uſu, per ſex men-
„ ſes continuato, ab hoc tumore, & dolore
„ liberabatur; nunc menſtrua fluunt ſine
„ omni moleſtia, & ſanitas videtur optima.

„ Virum, 32. annorum, penitus emacia-
„ tum, debilem, cacheticum, &c. a teſti-
„ culis tumidis & ſcirrhoſis, atque a gonor-
„ rhæa inveterata, datis pilulis de cicuta,
„ ſpatio quinque menſium curavi, perfecte
„ reſtitui.

„ Fœmina, 34. annorum, poſt terrorem
„ habuit mammam induratam, dolentem,
„ moles duritiei ſemper increvit, & aucti
„ ſunt dolores.

„ Data

„ Data cicuta mox melius ſe habuit, & „ intra binos & dimidium menſes fuit penitus ſanata.

„ Virgo, 17. annorum, cancrum apertum, „ non admodum magnum, in mamma ſiniſtra habuit, & pedes ambo fœdiſſimis ulceribus erant exeſi.

„ Mammam ſola cicuta ſpatio trium menſium curavi, verum ad ulcera pedum conſolidanda quinque menſibus erat opus.

„ Dedi fere omni tertia ſeptimana purgans.

„ Fœmina, 24. annorum, cancrum ulceratum in mamma ſiniſtra a binis annis geſſit, & uſa eſt plurimis remediis ſine effectu.

„ Datis autem pilulis de cicuta, & applicato fomento, ex eadem herba, ſpatio ſeptem menſium curabatur integre.

„ Fœmina, quadragenaria, a pluribus annis habuit mammam ſiniſtram duram, tumidam, circa papillam erant plures ſcirrhi rotundi, valde dolentes.

„ Emplaſtra, fomenta, unguenta externe diu applicuit, & a variis medicis varia remedia aſſumpſit ſine levamine.

„ Dedi dein ei cicutam, & ſpatio novem ſeptimanarum reſtituebatur.

„ Viro, qui in ambobus oculis cataractam habuit jam per integrum annum, dedi ſenſim ſpiritus frumenti cum mercurio ſublimato libras duas & dimidiam, exiguus

„ inde

„ inde ſequebatur effectus, & æger jam re-
„ nuit hoc remedium.

„ Unde tranſivi ad uſum cicutæ, & quarto
„ menſe dum ea utitur, ſolus ambulat, & co-
„ lores diſtinguit.

„ Vir, 44. annorum, ex arthritide præ-
„ greſſa habuit mammam ſiniſtram tumi-
„ dam, duram, & valde dolentem.

„ Varia ſine effectu applicuit.

„ Aſſumpſit dein cicutam, & ſpatio ſeſqui
„ menſis integre convaluit.

„ Virgo, 17. annorum, ex retro preſſa ſca-
„ bie cœpit dolorem circa articulum femoris
„ dextri conqueri, dein claudicavit.

„ Variis remediis, & balneo Badenſi uſa,
„ nullum habuit levamen, & fiebat tota ca-
„ chectica, macilenta.

„ Adhibui cicutam, & mox mutatus eſt
„ totus corporis habitus, jam minus dolet,
„ nec multum amplius claudicat.

„ Hinc ſpero non abſque ratione eam brevi
„ integre ſanam futuram.

„ Vir, 48. annorum, cancrum ſerpentem
„ in palpebra inferiori oculi ſiniſtri a longo
„ tempore habuit.

„ Applicui externe infuſum cicutæ, & in-
„ terne dedi pilulas de cicuta, & cancer per-
„ fecte curatus fuit.

„ Vetula, 70. annorum, jam ultra annum
„ ſenſit continuum dolorem & tumorem in
„ hypochondrio ſiniſtro.

„ Dedi ei cicutam, & ſpatio medii anni
„ evanuit tumor, & dolor.

„ Puero

„ Puero, 11. annorum, peſſime cachec-
„ tico dedi quotidie grana octo extracti ci-
„ cutæ & eum brevi curavi.

„ Multos adhuc in cura habeo, qui can-
„ cro, ſcirrhis, cataractis, amauroſi, ulceri-
„ bus peſſimis, cachexia, &c. laborant, &
„ ſpem habeo optimam eos reſtituendi; quo-
„ niam jam omnia mutantur in melius.

„ Alios tamen habui, quos cicuta, longo
„ licet uſu adhibita, nequaquam juvit.

„ Tres fœminæ, cancro mammæ laboran-
„ tes, nec ex uſu cicutæ, nec ex aliis reme-
„ diis multum levamen perceperunt, & ſen-
„ ſim mortuæ ſunt.

„ Una ex his ex nimis frequenti hæmor-
„ rhagia occubuit, aliæ autem duæ contabu-
„ erunt.

Dominus Alexander Engelberg, qui olim per plures annos in Abbatia Clauſtro-Neoburgenſi prope Viennam ſumma cum laude praxin medicam feliciſſime exercuit, & nunc Conſtantiæ Phyſicus ac Medicus practicus eſt celeberrimus, ſequentia de cicuta obſervata mihi retulit:

„ Vir, 60. annorum, a ſua juventute huc-
„ uſque variis morbis venereis afficiebatur,
„ tandem totus exhauſtus fere contabuit,
„ urina penitus purulenta, fœtida jam per
„ plures annos inter diros teneſmos ac dolo-
„ res, prodiit.

„ Remedia ſimilibus in caſibus alias utilia
„ jam potius nocuerunt.

„ Igitur cicutam præbui a parva doſi ſen-
„ ſim aſcendendo

„ Bini nunc ſunt menſes, & jam vires au-
„ gentur, redit appetitus, ſomnus eſt tran-
„ quillus, & urina penitus naturalis, abſunt
„ dolores, & teneſmi.

„ Fœmina, 40. aliquot annorum, hæmor-
„ rhagiis uterinis alias erat valde ſubjecta.

„ Tandem cœpit ex utero prodire mate-
„ ries fœtida, ichoroſa cum ingenti & con-
„ tinuo dolore urente, erodente.

„ Materies hæc utero prodiens haud raro
„ erat permiſta ſtriis ſanguineis.

„ Tentavi plurima remedia, quædam ef-
„ fectum videbantur præſtare, & materies
„ fiebat minus maligna, verum dolores man-
„ ſerunt æque violenti, neque vires auctæ
„ ſunt, nec increvit appetitus, & tandem
„ cœpit iterum materies peſſime fœtere.

„ Hinc tentavi extractum cicutæ.

„ Sub initium materies longe fœtidior, &
„ copioſior reddebatur, dolores autem intra
„ paucos dies imminuti ſunt.

„ Continuato per aliquot ſeptimanas ci-
„ cutæ uſu dolores ceſſarunt penitus, ægra
„ quiete dormivit, appetiit, & demum opti-
„ mas recuperavit vires, & materies ex utero
„ effluens tenuis fiebat, inodora, limpida.

„ Nunc jam paucæ tantum guttæ ſine ulla
„ moleſtia prodeunt, & fœmina videtur ſana;
„ nil enim conqueritur, habet bonas vires,
„ appetit, digerit, dormit, urina libere fluit,

„ alvus

„ alvus deponitur bene cocta ſine dolore, &
„ teneſmo.

„ Juvenem habui, qui ſæpius per ſeptima-
„ nam atrociſſima epilepſia afficiebatur, medi-
„ camenta, in hocce morbo alias decantata,
„ fere nihil effecerunt.

„ Unde dedi per integrum menſem extrac-
„ tum cicutæ doſi ſatis forti, & brevi paroxyſ-
„ morum violentia minuebatur, tandem nul-
„ lus amplius epilepſiæ impetus obſervatus
„ eſt.

„ Nunc per plures menſes jam ſanus fuit,
„ longe fortior eſt, agilior, & mens ipſa, quæ
„ antea erat ſuppreſſa, & hebes, jam maxime
„ ſerena, & ad omnia habilis videtur.

„ Juvenem, 24. annorum, qui a pluribus
„ annis ſcirrhos admodum magnos per totum
„ collum habuit, & partes vicinas adeo tenſas,
„ ut caput nequaquam potuerit circumvertere,
„ emplaſtro & extracto cicutæ integerrime cu-
„ ravi.

„ Chirurgi, & multi medici varia tum ex-
„ terna, quam interna remedia, in hoc juvene
„ incaſſum tentarunt.

„ Virginem, 20. annorum, quæ ingentes
„ ſcirrhos circa aures, infra maxillam, & in
„ toto collo geſſit, eadem ratione brevi reſti-
„ tui.

„ Dominus Silveſter ô Hehir, celeberrimus
„ Pragenſis Medicus, me de caſu ſequenti con-
„ ſuluit:

„ Matrona, vigeſimum primum ann. agens,
„ ſchirrum ab aliquot annis in mamma dextra

„ advertit; & quum nec dolorem, nec ullum
„ incommodum hicce tumor produxit, nullum
„ applicuit remedium.

„ Novem abhinc menſibus inivit matrimo-
„ nium, varia confecit itinera, concepit.

„ Mamma tunc cœpit intumeſcere, fiebat
„ durior, acceſſit dolor, naturalis mutabatur
„ color, intumerunt venæ, noctes factæ ſunt
„ inſomnes.

„ Remedia externe applicata mammam
„ ſemper pejorem fecerunt.

„ Multi medici & chirurgi, qui hanc ægram
„ viderunt, de ejus vita actum eſſe, prædice-
„ bant, vetueruntque omnem remedii applica-
„ tionem; probe gnari his cancrum adhuc
„ occultum aperiri, & tandem adferri mor-
„ tem.

Hoc in ſtatu ægra offerebatur celeberrimo ô Hehir.

Quoniam autem gravida fuit, noluit quoque ſine conſilio cicutam tentare.

Hinc hac ſuper re mihi ſcripſit.

Vidi ego in pluribus gravidis cicutam optimo cum effectu, & ſine omni noxa exhiberi, unde ſuaſi, ut celeberrimus vir in hoc quoque caſu eam tentaret.

Dignabatur meum ſequi conſilium, & poſtea ſequentem epiſtolam ad me dedit:

„ Dignitas rei poſtularet quidem, ut accu-
„ ratius abſolveretur hiſtoria morbi illius, de
„ quo tecum egi in literis die 27. Julii ultimo
„ elapſi ad te datis.

„ At

„ At mihi omnis occaſio minutioris inſti-
„ tuendæ indaginis abrepta eſt per numerum
„ aliorum periclitantium, qui ſeſe curæ meæ
„ ſubjecerunt, & ob diſtantiam loci, qua ab
„ urbe ſeparabatur Illuſt. illa Perſona.

„ Hinc non ægre feres, ſi votis tuis juſto
„ minus correſpondere valens, rem integram
„ rarioribus obſervationibus expedivero.

„ Percepta mente tua, mihi ante tres men-
„ ſes tranſmiſſa, conſilium mutavi, & ad nor-
„ mam poſitam curam acceſſi: exhibendo pi-
„ lulas duas, granorum binorum, de cicuta
„ mane & veſperi.

„ Dumque ſine ſenſibili effectu hanc admi-
„ niſtrandi methodum protrahi viderim, du-
„ plicari doſin juſſi, continuarique.

„ Quod per plures hebdomadas factum eſt;
„ at caſſo hucuſque molimine; imo in deterius
„ jam & præcipiti paſſu ruebant cuncta: tu-
„ mor, durities increverunt, acceſſere dolores
„ enormes, color lividus, vel plus in nigredi-
„ nem tendens, verbo: quidquid cancrum oc-
„ cultum manifeſte deſignaret, illud omne hic
„ aderat.

„ In ancipiti hoc ſtadio nil conſultius fieri
„ poſſe putabam, quam ut augerentur doſes.

„ Quare effeci, ut qualibet die abſumeren-
„ tur extracti cicutæ grana viginti quatuor: ut
„ ſedulo admoverentur parti affectæ fomenta
„ cum eadem cicuta parata.

" Hæc omnia quotidie repetebantur per
„ menſem & ultra.

„ Re-

„ Redeunti denuo mihi, quinta jam fere „ expleta ſeptimana, en hæc fuit, quæ ſeſe „ obtulit pulchra rerum facies.

„ Mammæ ingens moles quadruplo minor „ conſpicitur, quam dum digitis contrecto in „ plurima diviſam tubercula invenio.

„ Color ater in album & naturalem converſus eſt; de dolore vix conqueritur; quodque in hac praxi dignum forte notatu eſt:

„ Hæmorrhoidalem fluxum copioſum commode ſuſtinuit ſine ullo virium lapſu.

„ Palam ergo de incomparabili cicutæ effectu convictus nil prorſus vel addidi, vel „ detraxi, at eodem tramite inſiſtendo curam „ ultra feliciter perficiendam pronuncio, &c. „ &c.

„ Illuſt. hæc matrona jam ſeſe accingit ad „ iter Viennam faciendum; ubi viva voce hæc „ cuncta confirmata ſenties.

Ex itinere, & curruum ſuccuſſu mamma iterum paulo pejor fuit.

Unde ægra quam primum Viennam venit me fecit advocari.

Inveni mammam duobus pugnis fere æqualem, duram, hinc inde purpuream, non tamen valde dolentem.

Venæ autem fuerunt varicoſæ, interim ægra habuit vires bonas.

Suaſi, ut fomentum ex cicuta continuo applicaretur, ut ægra in lecto quieſceret, & aſſumeret quotidie grana viginti quatuor extracti cicutæ.

Hæc

Hæc omnia lubentiſſimo animo ad amuſſim fiebant, & mamma inter paucos dies habuit colorem naturalem, fuit mollior, mobilior, minor.

Graviditatis ſigna erant optima, & in toto naturæ opere nil mutatum inveniebatur.

Mamma fere quotidie in meliori ſtatu deprehenſa eſt.

Tertia ſeptimana, qua hac ægra Viennæ fuit, finiebatur graviditatis terminus, inſtabat partus, & prodiit filia ſana, pinguis, pulchra.

Omnium animi erant curioſi, & cupidi videndi: an non tenellæ infanti diuturnus cicutæ uſus nocuiſſet.

Verum bona prædixi, bona omnia inveniebantur.

Sub partu tamen mamma paulo rudius tractata cœpit iterum dolere, & poſtero die rubuit, intumuitque in molem ingentem, tandem purpurea fuit, dein livuit, & elevebatur in tubera, transſudavit ſerum acre, erodens, & merito timebatur, cutim tenerrimam eſſe rumpendam, oriturumque cancrum peſſimum, apertum.

Dolor magnus ſeſe ex mamma per humerum, & totum brachium dextrum extendit.

Primis duobus puerperii diebus ægra nec externe, nec interne cicutam applicuit.

Lochia optime fluxerunt.

Tertio die urgentibus nimium malis in mamma ſymptomatibus cataplaſma ex cicuta appoſitum fuit.

Dolores inde brevi mitigabantur, & lividus color eo ſtatim die diſſipatus eſt; durities tamen

men & mammæ moles ingens manſerunt, neque mutata ſunt tubera, quæ rupturam minitabantur.

Noctu denique cataplaſma ex cicuta ſedulo continuatum fuit.

Quarto die manſit in eodem ſtatu, dolores fuerunt vehementiores.

Quinto die mane & veſperi ægra jam iterum pilulas quinque, granorum duorum, aſſumſit.

Dolores multum minuebantur, & quædam tubera ſubſederunt, & illud acre, quod per cutim transſudavit, & roſit, vix amplius advertebatur.

Sexto die omnia iterum paulo meliora fuerunt.

Septimo die jam grana viginti quatuor de extracto aſſumpſit, & cataplaſma de cicuta, quamvis odorem ingratum ſparſerit, ægra tamen (viſo bono effectu) ſumma cum patientia applicuit, tulit.

Omnia puerperii negotia optime proceſſerunt, infans quoque ſaniſſima fuit.

Omni quarto quintove die doſin pilularum auximus.

Spatio trium ſeptimanarum uſu cataplaſmatis, & extracti cicutæ mamma ad magnitudinem pugni virilis redigebatur.

Color fuit naturalis, ceſſavit omnis dolor, ægra habuit vires, & potuit brachium ſat libere movere.

Incipiente quarta ſeptimana jam dabatur quotidie drachma integra extracti cicutæ, & ægra, quamvis tenella & valde ſenſibilis, nullam

lam inde moleſtiam advertit, & bene ſe habuit.

Hac ratione optime finiebatur puerperium, & finito puerperio in mamma ſuperfuit durities, adhuc ſcirrhoſa, magnitudine nucis juglandis, hæc autem erat mobilis, & in omnem partem volubilis.

Reliquum quod circa hanc moleculam adhuc præternaturale remanſit nequaquam durum, ſed paſtaceum fuit.

Hæc matrona optime ſe habuit, vires bonas recuperavit, appetiit, bene dormivit.

Senſim aſſumſit quatuor ſcrupulos extracti cicutæ quotidie, & cataplaſma ex cicuta tota nocte, & tempore matutino ſedulo applicatum fuit, poſt meridiem autem negligebatur, quoniam hæc matrona in liberum aërem motionis gratia ſe contulit, & in conſortio hominum fuit, qui odorem ingratum ferre non poterant.

Et amavi id, ut ſenſim viderem, quomodo mamma ſe haberet ſine cataplaſmate.

Vidi autem inde nil mali oriri.

Decima ſeptimana mammæ moles fuit admodum exigua, illud autem tuberculum ſcirrhoſum fere immutatum perſtitit.

Nihilominus tamen & hoc ſenſim inæquale & fibroſum fiebat, quod ſpem dedit, fore, ut ſucceſſu temporis, & uſu cicutæ integre ſolvatur.

Separatæ tales glanduloſæ portiones ſcirrhoſæ admodum lente quandoque diſſipantur; pertinaci tamen uſu funduntur, & evaneſcunt, & quum mobilia ſint, ſi præter omnem ſpem re-

mediis non obedirent, arte poſſent enucleari, dum neceſſitas exigeret.

Hæc matrona menſtruum fluxum jam poſt puerperium debita copia, & citra omnem moleſtiam iterum habuit, ſana fuit, & brachio lateris affecti, quod alias debile, & ad longiorem motum ineptum erat, uti optime potuit; exiit in liberum aërem, varios exercuit motus, & nil mali inde in mamma ſenſit.

Maritus vi ſui officii tunc cogebatur iter ſat longinquum ſuſcipere tempore adhuc frigido, aſpero.

Optavit, ut uxor (quæ omni amore, & veneratione eſt digniſſima) ſecum eſſet.

Amici omnes, & omnes noti, præſertim autem mulierculæ (quot enim tales, tot medicaſtræ) hoc iter optimæ huic matronæ diſſuaſerunt.

Ego autem conſideratis omnibus putavi iter non poſſe nocere; hinc neglectis objectionibus (talibus enim, ſi medicus obaudit; martyr & mancipium eſt) ſuaſi maritum comitaretur.

Perficiebatur iter feliciſſime, advenerunt ad locum conſtitutum ambo, fruentes ſanitate perfecta.

Mammæ nil mali, nil boni contigit, manſerunt omnia eodem in ſtatu.

Nunc uſum cicutæ tum externum, tum internum continuat, hinc nullus dubito, fore: ut id, quod ſupereſt, integre quoque ſolvatur.

Durante puerperio curam hujus matronæ geſſit clariſſimus ac magnificus Archiater Keſtler.

Primum

Primum autem periculum, primas & maximas cancri minas pertinaci cicutæ uſu ſuperavit celeberrimus medicus Pragenſis Silveſter ô Hehir; huic igitur maximæ laudes, & grates debentur.

Etenim certo certius hoc malo mater & infans fuiſſent interemptæ, ſi vagorum hominum, & medicaſtrorum conſiliis, quæ innumera fere fuerunt, aures, & mentem dediſſent.

Infans jam ſeptimum agens menſem adhuc ſaniſſima eſt.

An igitur inde non patet, cicutam eſſe remedium innocentiſſimum, neque nocere gravidis, neque tenerrimis embryonibus.

CAPUT IV.

COROLLARIA.

Corol. 1.) *Cicuta non ſolvit ſanguinem in putridum liquamen.*

Pluribus, qui larga doſi & longo tempore uſi ſunt cicuta venam ſecui, & inveni ſemper ſanguinem, qui habebat bonum colorem, & optimam conſiſtentiam.

Magnificus Archiater Keſtler Illuſtriſſimæ cuidam comiti, quæ per plures graviditatis menſes cicutam aſſumſit, paucis ante partum diebus ſanguinem e vena miſit, & vidimus tunc ambo ſanguinem ſanorum ſimillimum.

Idem obſervavit celeberrimus Harlemenſis practicus Joannes van Woenſel in matrona, cui per plures menſes cicutam dedit.

Dum hæc ſcribo, ſanguinem iterum miſi alii comiti, quæ cicuta a binis menſibus utitur, & video eundem optime ligatum, & longe ſaniorem, quam fuit ante uſum cicutæ, tunc enim ſemper ſanguis erat tenaci, mucoſa, & variegata cruſta tectus, fibroſus.

Provoco unum quemque medicum vel chirurgum ad experientiam, qui ex recto uſu cicutæ alium quam bonum ſanguinem obſervaverit.

Corol. 2.) *Cicuta non adfert conſumtionem.*

Ex meis aliorumque medicorum experimentis (ſi ea placet adtente conſiderare) clare patet, ægros cicuta utentes recuperaſſe vires integras, & totum corporis habitum factum eſſe opimum, toroſum.

Uſu cicutæ ſæpiſſime ſiſtuntur nocturni ſudores, augetur appetitus, adjuvatur digeſtio, reſtaurantur corporis functiones; cur igitur inde ſequatur conſumtio?

Clariſſimus ſanitatis conſiliarius Leopoldus Erndl doluit ſæpiſſime, tot pueros puellaſque in ſuo noſocomio phthiſi ſcrophulari conſumi, interire.

Varia remedia per plures annos ſumma cum induſtria adhibuit, rebelli tamen huic morbo limites ponere nequaquam potuit.

Unde tentavit cicutam larga doſi, & mox omnia mutabantur in melius, pueri alias ſtupidi,

pidi, meticuloſi, cachectici, emaciati, fiebant alacres, fortes, pingues, & glandularum ſcirrhi ſenſim fundebantur.

Doctiſſimus hicce vir me ſæpius ad ſuum noſocomium humaniſſime invitavit, & mihi magno cum gaudio oſtendit, quam egregios & miros effectus in pueris & puellabus atque etiam in tenerrimis infantibus præſtet cicuta.

Pluribus, experimenti gratia, cicutam jam in ſecundum, tertium, & quartum annum præbui, ſani ſunt, vegeti, robuſti, agiles, & ad omnia apti.

Cur hi non contabeſcunt?

Corol. 3.) *Cicuta viſum non hebetat.*

Etenim contrarium ſemper in meis ægris vidi effectum.

Quoniam multi inter eos fuerunt, qui oculos habebant turbidos, continuo fluentes, aut urentes ex perpetuo acrium lachrymarum affluxu, atque propterea perſpicillo utebantur, verum ſumta per aliquot tempus cicuta, hæc oculorum vitia emendata ſunt, & plures potuerunt perſpicillo carere.

Corol. 4.) *Cicuta non demit generandi potentiam.*

Habui militem, quem largo uſu cicutæ intra bimeſtre ſpatium a glandulis ſubmaxillaribus tumidis & ſcirrhoſis, atque ab ingenti colli ſtruma liberavi.

Integerrime curatus, & ſanus ex noſocomio diſceſſit, poſt quatuordecim dies autem

iterum

iterum rediit ad me laborans peſſima gonorrhæa venerea, quam ſe altero die, quo ex noſocomio abiit, contraxiſſe fatebatur.

Hunc eundem militem dato omni octiduo purgante hydragogo, dato decocto bardanæ, & uſu cicutæ, ſpatio quinque ſeptimanarum ab hac gonorrhæa, ſat rebelli, ſanavi.

Alios viros, qui magna copia, & longo tempore cicutæ extractum aſſumpſerunt, hoc ſuper articulo ſcrupuloſe ſæpius examinavi, rogavique, mihi verum dicerent.

Aſt fatebantur omnes ſe in naturæ vigore nil mutatum ſentire, imo quidam contendebant ſibi naturæ opus reſtauratum fuiſſe.

Vir, ſexaginta ſex annorum, paralyticus, cicutam jam in ſextum menſem aſſumſit, & quidem tanta copia, ut jam per novem ſeptimanas quotidie drachmam unam cum dimidia deglutiat.

Inter alios bonos effectus, quos inde habet, mihi ſponte narravit: naturam jam per duodecim annos integre dormiviſſe, evanuiſſe; nunc autem ex uſu cicutæ eam evigilare, erigi, & eodem modo agere, atque dum fuit vir triginta annorum.

Uxores dein, quorum mariti cicuta utebantur hac ſuper re ſerio, & medice rogavi; verum & hæ omni ex parte contentæ erant, & ſua mihi conſcientia confirmabant, ſe nequaquam mariti naturam debiliorem experiri.

Eram hoc in articulo admodum religioſus.

Verum

Verum ne aliis tantum crederem, id in me ipſo (qui homo ſum) experiri volui, ſumſi propterea cicutæ extractum per tres ſeptimanas notabili ſatis doſi.

Neque quidquam in me mutatum deprehendi, niſi: quod urina paulo copioſius fluxiſſet, & appetitus longe major exſtiterit, quodque fuerim agilior, jucundior; & manſi homo integer.

An cicuta tuto datur in ſcirrhis abdominalibus?

Multi non abs ratione timuerunt, poſſe excitari ſuppurationem, quæ lethalem tympanitidem adferret.

Dico autem ex numeroſiſſima experientia: me multos ope cicutæ ſcirrhos in ventre diſſipaſſe, me curaſſe pluries hydropem, a ſcirrhoſis abdominis viſceribus ortum, nunquam autem ſuppurationem ſuperveniſſe, neque inde natam eſſe tympanitidem.

In fœminis quidem ſæpius vidi, uſu cicutæ ex utero profluxiſſe materiem puriformem, & ſcirrhos hac ratione eſſe ſolutos; judicavi tunc: materiem ſolutam ductu naturæ innocuam viam affectaſſe, & quæſiviſſe naturalem exitum.

Doctiſſimus Dominus Collin mecum frequenter idem adhibuit remedium in ventris indurationibus, neque bono inde effectu caruit, mali autem prorſus nihil obſervavit.

Cum tamen in aliis corporis partibus uſu cicutæ quandoque ſuppuratio oriatur, ratio dictat:

dictat: poſſe id & in ventre contingere; verum hæc bonum medicum non debent deterrere.

MONITA.

ENarravi plurimos caſus, in quibus cicuta convenit, neque tamen contendo, ſoli cicutæ ſemper confidendum eſſe.

Alia ſubinde remedia debent jungi cicutæ.

Medicus ſuas indicationes judicioſe ſequatur, neceſſe eſt.

Chirurgus externe mutet, addat; demat, quæ ratio, experientiis fundata, jubet.

Multi male meam ex primo de cicuta libello opinionem intellexerunt, etenim putabant: me dare remedium, quod ſolum ſufficiens in omnibus caſibus, & univerſale crederem.

Verum nequaquam id volo.

Sed adfirmo ſolummodo: cicutam præſtare talia, quæ alia remedia, maxime heroica, nequeunt.

Cancrum curat, id, multiplici experientia convictus, vidi.

Nec tamen aſſero omnem inde cancrum curari.

Nec aſſero ſoli tantum cicutæ opus totum eſſe ſemper committendum.

Ex centum ægris, quas alii medici dereliquerunt, & habuerunt pro deſperatis, ſi unam ego ſervo, & curo, mihi ſufficit; aſt numerus curatarum eſt longe major.

Mer-

Mercurius curat luem veneream; verum an is ſemper convenit? an is ſemper curat? quot non milleni hoc morbo exſtinguuntur?

Cortex peruvianus fugat febrem intermittentem, & tamen dantur ſebricitantes, quos non juvat, quot non ſunt, quibus nocuit?

An propterea talia remedia negligenda, & pro nocivis, aut inutilibus habenda ſunt?

Idem de aliis remediis ſpecificis dictis judicabunt periti medici.

Si qui ſunt, qui ex idioſyncraſia, aut propter complicata ſymptomata cicutam ferre non poſſunt, hi abſtineant.

Si ſymptomata, morbo juncta, aliud expoſcant remedium, cur illud non ſimul exhibeatur cum cicuta?

Purgans ſæpius requiritur.

Subinde neceſſe eſt, venam ſecare.

In plethoricis haimorrhagiæ non illico ſunt ſiſtendæ; hæ enim ſimilibus ægris longe melius conducunt, quam venæ ſectiones.

In debilibus autem cito, & optime ſiſtuntur fungo agarico quercino.

Agaricus autem tantum eo in loco debet applicari, ubi ſanguis prodit; etenim extenſus ſupra totum ulcus aut vulnus nocet, & ſæpe lethalis eſt.

Quandoque antiphlogiſtica, & refrigerantia præter cicutam indicantur.

Hoc ſæpius in arthritide, & rheumatiſmo contingit.

Externe quandoque emollientia, quandoque digeſtiva, quandoque adſtringentia requiruntur.

Quandoque ferro materiei debet exitus pandi, quod in ſpina ventoſa toties obſervavi, ut nimirum carioſum, & corruptum a ſano poſſet ſeparari; quandoque cancer fungoſus debet cultro tolli.

Ne autem in ſimilibus caſibus recidiva contingat, uſus internus externuſque cicutæ prohibet, & ſufficit.

Quandoque autem calloſa cancri labia, aut ipſi cancri fungoſi ſolo remedio ſequenti conſumuntur.

℞. Pulv. herb. cicut. dr. ijſs.
mell. roſar. unc. iij.

Hoc remedium ſupra lintea carpta extenditur, & loco affecto toties recenter applicatur, quoties medicus aut chirurgus neceſſarium judicat.

Aſſiduus & judicioſus medicus, bonus & expertus chirurgus, ſi mutuam in deſperatis morbis curam impendunt, ſæpenumero præſtant miracula.

Si autem hi diſſentiant, aut morbum tractare non noverint, æger patiatur, aut moriatur, oportet.

Si fœminæ ſtatim in principio mala ſua detegant, & ſi medici debito tempore cicutam applicent, certus ſum: nos intra aliquos annos raro viſuros mammarum cancrum.

Cicuta

Cicuta nequaquam ſtrictum exigit vitæ regimen.

Admittit ea omnia, quæ ægri ventriculus facile digerit, & quæ in bonum nutrimentum tranſeunt.

Neque interdicitur vinum, neque vetantur acida, prudenti & moderata copia aſſumta.

Et quivis medicus ipſe novit, quid ægro ſuo conveniat, quid noceat.

Lex univerſalis non datur.



Cicuta Off. HALL. Aliorum
Cicuta major C.B. TOUR.
Cicutaria vulgaris CLUS.
Cicuta vulgaris major MORIS.
Conium maculatum LINN.
Schierling. German.
Cigue. French.
Common Hemlock. English.

Aug. Cipps Med. Stud. delin Viennæ 1761.

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ CÆSAR. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII
AULICI, ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO
PAZMARIANO PHYSICI,

SUPPLEMENTUM
NECESSARIUM
DE
CICUTA,

UBI SIMUL JUNGITUR CICUTÆ IMAGO,
ÆRE EXCUSA.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REGIÆ
APOST. MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXI.

PRAEFATIO.

MAgnorum medicamentorum hiſtorias ſi attente legimus, videmus: de eorum efficacia ſemper & ubique acriter fuiſſe diſceptatum.

Fuerunt medici, qui ea ilico damnarunt, & tanquam noxia proſcripſerunt.

Alii autem, factis contrariis experimentis, ea laudarunt, commendaruntque, ut maxime ſalutaria.

Doctis

Doctis his litigiis tandem res in ordinem fuit redacta, & recepta in uſum communem.

Idem cum cicuta futurum, clare prævideo.

Interim doleo vehementer, quoſdam viros medicos, in magna dignitate conſtitutos, nunc nimis præcociter & ſevere protuliſſe ſuam contra cicutam ſententiam, eamque, ut plantam venenatam & inutilem, damnaſſe, aliis diſſuaſiſſe.

Sapit hoc nimiam contradicendi cupidinem, & medicinæ rationali repugnat.

Quod autem omnium mihi acerbiſſimum accidit, eſt; eos experi-

ri ſummos adverſarios, quos magna ſemper pietate colui, quos omni officii genere affeci, & quorum potius fuiſſet, meas tueri partes, quam lædere.

Verum nec inde moveor, nec vindictam ſitio: & ut hi mei adverſarii vere agnoſcant, meum animum propterea nequaquam ab iis eſſe alienatum (licet opinione diſſentiam) has obſervationes in ipſorum honorem ſcribo, ipſis offero, & debita reverentia dedico.

Nec tamen ullo modo eos oro, ut quid in mei favorem faciant; ament tantum veritatem, agant juſtos rei arbitros, & id fateantur ingenue, quod cedit in decumbentis ſalutem.

Inanes,

Inanes quorundam clamores non curo, flocci facio.

Qui foliorum ſtrepitum timet, adeat ſylvam.

A P-

SUPPLEMENTUM NECESSARIUM DE CICUTA.

BINIS voluminibus jam demonſtravi, confirmavique, quænam inſit cicutæ vis, & efficacia.

Non opus propterea fuiſſet, ut denuo ſuper eadem materia uterer calamo.

Quum vero multi adhuc ſint, qui meæ cicutæ ideam non habent, deque ejus ſpecie, & caractere diſceptant, neceſſarium erat, hanc plantam ære excudere.

Ut autem hoc rite, & ad omnium intellectum, facillimum, clariſſimum, & ſine errore fieret, rogavi celeberrimum ac indefeſſum inſtitutionum, & materiæ me-

dicæ Profeſſorem *Crantz*, velit Is hanc herbam in ſuum hortum botanicum ſuſcipere, & accuratiſſimæ expreſſionis gerere curam.

Præſtitit hoc lubentiſſime, & tradidit mihi hanc tabulam, a doctiſſimo Domino *Cipps* Medicinæ Candidato pictam, & ſculptam.

Ex hac quivis in re herbaria vel parum peritus, primo ſtatim intuitu plantam diſtinguet, & ab omnibus aliis dignoſcet.

Extractum vero non ubique ad meam mentem paratur: ſumunt enim ſucci expreſſi ingentem copiam, eam in vaſe cupreo igne ſatis forti coquunt, fœtor inde ingens longe lateque ſpargitur, avolat, quod eſt optimum; præterea nimium ſollicite ſuccum & extractum purificant.

Fit hac ratione maſſa nigricans, tenax, haud multum fœtens.

Mea autem methodo dum paratur, debet eſſe extractum craſſum, ex fuſco virideſcens, et ingratiſſimum habens fœtorem (qualem mures domeſtici ſpargunt.)

Quidam alias herbas cum cicuta miſcuerunt.

Quidam relinquunt herbam recenter collectam in uno cumulo per plures dies, unde flacceſcit, & quædam pars corrumpitur,

pitur, ſuccus linteſcit, fit mucilagino-ſus.

Subinde ſuccum expreſſum non ilico igni admovent, ſed per duos ternoſve dies exſpectant, donec tempus ipſis commodum, & opportunum videatur; fit tunc in ſucco alteratio, & virtus minuitur.

Hac occaſione putavi: non incongruum fore, ſi iterum adducam quaſdam curationes, quas ſola cicuta ab eo tempore, quo ſecundus libellus prodiit, perfeci.

Brevis ero, ne otium turbem, aut tempus, medicis adeo pretioſum, longa narratione abſumam.

Ubi dico, me *cicutam* dediſſe, ſemper intelligo cicutæ extractum, id noto, ut lites de vocabulo evitem.

Nec ubique medicamenti doſin addidi, quoniam fere ſemper a parva quantitate incepi, & eouſque ſenſim aſcendi, donec ſequeretur bonus effectus, & tunc ſubſtiti, nec amplius doſin auxi.

CASUS PRIMUS.

VIr, triginta aliquot annorum per plures menſes habuit ingentem in abdomine dolorem & continuum ardorem; non appetiit, urina fuit ſtranguri-

oſa, alvus frequens, ſemper pauca, ardens, & cum teneſmo juncta; color faciei pallidus, corpus totum macilentum.

Remedia cujuſcunque generis tentata, nil profuerunt, imo turbabatur ſomnus, & incipiebant deficere vires.

Cicuta ſola ſpatio trium ſeptimanarum juvit; rediit appetitus, alvus fiebat naturalis, urina libere fluxit, acceſſit totius corporis robur, & perfectæ ſanitatis habitus.

CASUS SECUNDUS.

JUvenis, 15 annorum, jam a tribus annis in gena ſiniſtra geſſit tumorem magnitudine nucis juglandis.

Hunc tumorem penetravit fiſtula, ichorem plorans.

Medici & chirurgi fruſtra ſuam artem hic tentarunt longo tempore.

Data autem cicuta, & diſparuit tumor, & apertura fiſtulæ perfecte coaluit, & ceſſarunt omnes dolores.

CASUS TERTIUS.

Fæmina, 40 aliquot annorum, ultra anni ſpatium, in manu habuit peſſimam ſerpiginem, & cutis in pluribus partibus ad carnem uſque findebatur.

Nec externa remedia, nec interna purgantia

gantia & ſanguinem purificantia attulerunt levamen.

Cicuta intra binos menſes ſanavit.

CASUS QUARTUS.

Fæmina, 30 aliquot annorum, in mamma dextra jam a pluribus menſibus ſchirrhum magnæ molis advertit.

Applicabatur emplaſtrum, quo & durities & mammæ volumen augebantur, extenſumque malum fuit infra axillam.

Color fiebat purpureus, hinc inde erant ſtriæ lividæ, & dolor adeo vehemens, ut diu noctuque ægra dormire non potuerit.

Tandem tumor elevabatur in tubera, quæ peſſimam exulcerationem minitabantur.

Ego acerſitus rogavi, vellet omne emplaſtrum ſemovere, nihilque adponere exterius præter linteum molle.

Pro interno remedio ſolum cicutæ extractum præbui.

Spatio octo dierum ceſſavit fere omnis dolor, mutatus eſt tumoris color, ſubſederuntque tubera.

Et nona ſeptimana mamma naturalis fuit.

Maxima doſis per diem erat drachma dimidia.

CASUS

CASUS QUINTUS.

Fæmina, 27 annorum, a viginti tribus ſeptimanis fere omnia ingeſta vomitu rejecit, & fere contabuit.

Medici, chirurgi, agyrtæ, & vetulæ jam omnia artis auxilia attulerunt citra ullam mali emendationem.

Exhibui extracti cicutæ grana viginti in miſtura quatuor unciarum, ex qua ſumebatur omni bihorio cochleare unum, & brevi ceſſavit vomitus, fæmina appetit, & redeunt vires.

Et jam tertius menſis eſt, quo nec vomitus ſigna advertuntur.

CASUS SEXTUS.

Vir, ſeptuaginta annorum, jam in quintum annum ulcus in brachio habuit; acre tranſſudans vicinas partes continuo arroſit, & excitavit ardentes puſtulas.

Remedia adhibita malum quidem levarunt ſubinde, mox autem iterum ortus eſt pruritus, rupta eſt cuticula, & ulcus denuo cœpit acerrimum ichorem plorare.

Sumpſit dein æger, me ſuadente, omni mane grana ſex extracti cicutæ & totidem veſperi per quinque ſeptimanas, externe applicatum eſt emplaſtrum diapompholygos; & jam nunc in ſextum menſem

menſem firmiter clauſum eſt ulcus, & ſenex bona gaudet valetudine.

CASUS SEPTIMUS.

NObilis matrona mammam utramque habuit ſcirrhoſam magnam.

Emplaſtrum appoſitum omnia irritavit, excitavitque dolores magnos.

Papilla mammæ dextræ fuit ſolito duplo major, exulcerata, & continuo ploravit ichorem acrem, erodentem, tumor jam infra axillas extendebatur.

Præ dolore hæc matrona fere nec loqui, minus ridere, aut libere reſpirare potuit.

Data cicuta malum mox emendabatur, papilla intra quatuor ſeptimanas ad ſtatum naturalem redacta eſt, & quarto menſe mammæ ambæ fuerunt ſanæ.

Neque opus erat, doſin ultra octodecim grana per diem augere.

CASUS OCTAVUS.

VIr, 30 aliquot annorum, tumorem pugno virili majorem in colli parte dextra habuit jam a longo tempore.

Erat præterea cachecticus, laborabat vehementibus doloribus, qui totum corpus & omnia membra die noctuque torquebant.

Minue-

Minuebatur propterea appetitus, & ſupervenit corporis macies, & faciei color ex flavo fuſcus.

Quæcunque ad ſanandum fuerunt adhibita, nil profuerunt.

Quamprimum autem bonus vir me conſuluit, dedi cicutam, qua intra paucos dies omnia mutabantur in melius, & poſt binos menſes aderat ſanitas.

CASUS NONUS.

FÆmina, 36 annorum, ulcera maligna, quæ naſi apicem, naſi alas, & totum oris labium ſuperius profunde exedebant faciemque totam aſpectu turpiſſimam efficiebant, a binis annis habuit.

Et omnes hæ partes erant lividæ, duræ, tumentes, & dolor vehemens noctes inſomnes reddidit.

Ichor continuo emanans partes adjacentes arroſit.

Remedia purgantia, antiſcorbutica, mercurialia, ſanguinem depurantia nil mutarunt, & malum videbatur inde longe pejus fieri.

Adhibita cicuta ichor copioſiſſimus, ſed longe blandior, effluxit, mox partes omnes detumuerunt, dolor evanuit, lividus color mutatus eſt in naturalem.

Spatio

Spatio trium ſeptimanarum ingens obſervabatur mutatio in melius, & ægra fuit longe robuſtior, pinguior.

Abſtinuit tunc per aliquot tempus a cicuta, verum res mox iterum in pejus ivit, & dolores aucti ſunt.

Quamprimum autem cicuta iterum cœpit uti, omnia mala ſymptomata diſparuerunt, & continuato dein uſu ſeſqui menſis ſpatio ulcera cicatrice obducta ſunt, & omnis tumor evanuit.

CASUS DECIMUS.

FÆmina, 32 annorum, a ſex annis habuit dolorem in inguine dextro, aderat præterea ibi tumor durus, & ex utero exſtillavit materies acris, purulenta.

Cauſam hujus mali in ultimum partum rejecit, qui minus felix fuit, & obſtetrix magna vi evulſit placentam.

Nec Balnea nec medicamenta, jam in ſextum annum adhibita, malum mutarunt.

Uſu autem cicutæ ſpatio ſex ſeptimanarum tumor diſparuit, ſilet dolor, & ceſſat fluxus materiei acris.

CASUS UNDECIMUS.

HOmo, 29 annorum, variis malis venereis per multos annos divexatus eſt, nunquam autem integre curabatur.

Glandulæ colli, inguinum, circa aures, ſub axillis &c. demum intumuerunt, multumque dolorem diu noctuque ægro crearunt.

Remedia antivenerea, & in his caſibus alias optima, malum auxerunt, & timenda erat conſumptio.

Unde abſtinuit ab omni remedio ſuadentibus Medicis.

Res inde nec in melius, nec in pejus mutabatur, niſi quod dolores ſubinde fuerint admodum atroces.

Tandem derelictus eſt penitus a ſuo medico ordinario, qui dixit: rem naturæ committeret.

Æger autem in aliquot aliis vidit bonum effectum cicutæ; unde ſpe fretus me acceſſit, rogavitque: an non & ſibi conveniret hoc remedium.

Suaſi illico, & ſpatio duorum menſium erat curatus, & nihil de ſcirrhis ſuperfuit.

CASUS DUODECIMUS.

VIrgo, 17 annorum, in tertium annum ſpinam ventoſam habuit in brachio dextro.

Aderant ſimul fœda ibi ulcera.

Remedia fere innumera externa internaque nil effecerunt.

Venter

Venter fiebat durus, magnus, membra occupavit dolor dilacerans, acceſſit cachexia, virium dejectio, macies.

Cicuta ſola ventrem ad molem naturalem reduxit, diſpulit dolores, cachexiam, maciem; & ſanavit ulcera, & ſpinam ventoſam.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

PUer ſeptem annorum, glandulas omnes colli & circa aures habuit ſcirrhoſas magnas, dolentes.

Venter præterea quoque durus, & magnus fuit.

Dabantur mane grana ſex extracti cicutæ, & totidem veſperi, celer erat inde effectus, atque omnes tumores intra decem ſeptimanas evanuerunt.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

FÆmina, 25 annorum, jam in quartum annum tuſſim vehementem habuit, & pruritum ingratiſſimum per totum corpus.

Subinde per univerſam cutim proruperunt puſtulæ albicantes, pellucidæ, urentes, rodentes.

Longo remediorum uſu tandem cœpit contabeſcere.

Hoc in ſtatu exhibui bis quotidie quatuor grana extracti cicutæ; & mox prodivit ſputis copioſum ac tenaciſſimum gluten,

ten, diſparuit pruritus, nunc redeunt vires, bonuſque corporis habitus, & adeſt ſanitas.

Hæc doſis non erat augenda, quoniam præſtitit, quod optabatur.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

VIr, 60 aliquot annorum, poſt febrem intermittentem habuit ventrem inflatum, hypochondrium dextrum tenſum, durum, faciem flavam non appetiit, membra dolore nocturno excruciabantur, & erant emaciata.

Cicuta hunc integre reſtuit.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

SEni, 70 annorum, vomitus violentiſſimus, quo jam in tertium menſem laboravit, nullo remedio ſiſti potuit.

Cicuta, in miſtura ſoluta, hunc brevi inhibuit, compeſcuit.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

INfans, trium annorum rachiticus nec pedibus poterat inſiſtere, nec libere reſpirare.

Cicuta fecit, ut morbus totus diſparuerit, ut infans reſpiret commode, curratque alacriter, cæteroſque ſuos fratres ſanitate ſuperet, ſimiles caſus plures habeo.

In

In quibuſdam quatuor aut ſex grana per diem ſufficiunt, in aliquibus vero debet doſis ad grana decem, duodecim, aut viginti augeri,

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

VIrgo, 26 annorum, uteri hæmorrhagiis vehementiſſimis ab aliquot annis erat ſubjecta; & fluxu ſanguinis ceſſante prodibat ex utero materies craſſa, ſubflava, acris, omnia erodens.

Alii celeberrimi Medici, egoque longo tempore tentavimus remedia fere innumera, levamen autem inde ægra nullum ſenſit, imo fiebat cachetica, & intumuit.

In caſu adeo rebelli volui experire, quid cicuta ſola efficeret; dedi propterea ter quotidie tres pilulas, quarum quælibet habuit grana tria.

Poſt paucos dies vidi totius corporis colorem mutari in naturalem, augeri vires, vigere appetitum; prodiitque urina copioſa cum multo glutine.

Intra menſis ſpatium totus morbus jam longe aliam faciem habebat.

Etenim libera erat reſpiratio, quæ antea a minimo motu fere ſuffocabatur, ſiluit anxia cordis palpitatio, & ſomnus fiebat tranquillus.

Quod

Quod autem maximum, ceſſarunt uteri hæmorrhagiæ, comparuitque fluxus menſtruus debito tempore, debita copiá, & qualitate.

Materies utero effluens nec amplius craſſa, nec acris fuit.

Poſt binos menſes hæc optime ſana omnibus videbatur, & paucum tantum, blandumque ſerum ex utero exſtillavit.

CASUS DECIMUS NONUS.

VIr, ſexagenario major, ſub mento tumorem magnitudine ovi anſerini & lapidis inſtar durum, dolentemque habuit, qui immobilis & immutatus perſtitit, licet remedia interna externaque fuiſſent longo tempore tentata.

Cicuta eum autem ſolvit, diſſipavit ſpatio duorum menſium.

CASUS VIGESIMUS.

FÆmina, 40 annorum, cachectica, melancholica, cœpit ſenſim contabeſcere.

Nullum in corpore manifeſtum vitium, quod huic morbo cauſam præberet, poterat detegi.

Facies erat terrei coloris, oculi profundi, vox debilis, cordis palpitatio frequens, reſpiratio ex paulo fortiori motu fiebat anxia,

anxia, brevis; appetitus erat penitus deletus.

Remedia, alias uſitata in ſimilibus caſibus, nullum levamen attulerunt.

Tres autem cicutæ unciæ, ſucceſſive deglutitæ, reſtituerunt appetitum, corporis vigorem, animi hilaritatem; correxerunt cachexiam, & jam hæc fæmina cum omnium admiratione optata ſanitate fruitur.

Cachexia & corporis attenuatio, ſi non pendet a vomica intus latente, aut a corrupto quodam viſcere, cicuta plerumque curatur.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

DEcennis puer a ſpina ventoſa per totum corpus & circa omnem fere articulationem, ut & in facie, & circa oculos miſere exulceratus, emaciatus, & totus cacheticus per plures annos varia ab optimis medicis fruſtra aſſumpſit, imo morbus ſemper ruit in pejus.

Data ſola cicuta coaluerunt jam omnia ulcera, nec cicatrices fœdæ ſunt, magna oſſium fragmenta ſeceſſerunt, adſunt bonæ vires, naturalis faciei color, & habitus totius corporis eſt ſanus.

Senſim augendo doſin jam per plures ſeptimanas drachmam integram extracti cicutæ quotidie aſſumpſit.

CASUS

CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.

FÆmina, quadraginta major cancro aperto, miſerrime exulcerato, jam in ſecundum annum laboravit.

Uſu interno externoque cicutæ ulcus totum jam fere coaluit.

Erat antea tota macilenta, noctu ſudavit, non appetiit.

Nunc autem adſunt optimæ vires, color faciei bonus, ſomnus tranquillus, abeſt dolor, ceſſavit ſudor, evanuit macies.

Datur jam quotidie drachma una cum dimidia de cicutæ extracto.

In alia fæmina, triginta aliquot annorum, cancrum apertum, magnum, ſolo cicutæ uſu intra ſex ſeptimanas ad exiguam molem redegi; & jam incipit formari cicatrix.

Hi caſus in civitatis praxi mihi obvenerunt, ea autem, quæ in noſocomio vidi, & quæ certo mira ſunt, & orbis litterati adtentionem merentur, hic referre non potui, quoniam Dominus *Collin*, optimus meus collega, ea fideliter deſcribit, & brevi dabit prælo.

Adeo bonos, & adeo manifeſtos de cicuta in noſocomio effectus quotidie videmus, ut non tantum artis ſtudioſi, ſed alii ignari, qui circa ægros ſunt, mirentur, obſtupeſcant.

Verum-

Verumtamen ſunt quidam caſus, qui non ſuccedunt.

Morbus enim ſi jam nimium fuerit progreſſus, aut ſi totius corporis habitus fuerit penitus deſtructus, quis eſt, qui curabit? aut quænam Medicina ſanitatem promittet?

Nos nec facimus, nec cupimus a noſtris medicamentis miracula, ſed adtendimus quouſque poſſimus arte pervenire.

Si obſtaculum invenimus, conſideramus: an id arte ſuperandum; dum id præſtare non poſſumus, agnoſcimus nos eſſe homines, & adhuc multa ignorare.

Nequaquam nobis imaginamur, nos aliis eſſe arte majores, ſed cupimus quotidie vel ab infimis doceri.

Rogamus autem quoque alios, ut eadem mente in nos utantur, ſi erramus, aut erravimus, nobis monſtrent debita amicitia & decenti methodo errorem; & nec erubeſcemus meliora erudiri, nec erimus pertinaces.

COROLLARIUM PRIMUM.

CIcutæ extractum eſt remedium maxime innocuum.

Poteſt, ſenſim augendo doſin, exhiberi per diem ad drachmas duas, tres, quatuorve.

Et tantæ doſis uſus poteſt per plures ſeptimanas tuto continuari.

Non nocet cicuta infantibus, nec pueris, nec mediæ ætatis hominibus, nec ſenibus, nec decrepitis, nec fœminis gravidis, nec embryoni in utero latenti, nec nobili, nec plebejo.

COROLLARIUM SECUNDUM.

CIcuta nec majorem motum, nec in ſanguinis circulo turbam excitat.

Negue refrigerat, nec calefacit.

COROLLARIUM TERTIUM.

CIcutæ extractum eſt medicamentum efficaciſſimum.

Raro tamen alvum movet, & rariſſime vomitum, quandoque tranſpirationem auget, ſæpe autem urinam copioſam & glutinoſam prolicit.

In plurimis tamen æ grisnullam excretionem ſenſibiliter auget.

COROLLARIUM QUARTUM.

CIcutæ extractum vim maximam reſolvendi habet, & ibi ſæpe penetrat, & illuc pertingit, quo fortiſſima hucuſque cognita remedia pervenire non potuerunt.

Obſtructa reſerat; hinc ſanguinis circulum turbatum, & impeditum redigit in ordinem.

Un-

Unde languorem, torporem, doloremque in membris (a ſimili cauſa pendentem) tollit.

Mentem reddit ſerenam, corpus ad agilitatem roburque naturale diſponit.

Auget ſecretiones, unde ſæpe aures, nares, os, fauceſque ſiccas, reddit humidas, tranſpirantes.

Viros ſteriles, ob vaſorum immeabilitatem aut obſtructionem, reddit fœcundos.

Fœminarum uterum mucoſum induratumque reſerat, fluxui menſtruo a ſimili cauſa impedito viam pandit, & conceptioni parat locum.

Infantes a rachitide liberat.

Membris ſæpe ſtuporem, frigus, inſenſibilitatem, & marcorem auffert; atque efficit, ut redeat naturalis calor, muſculorum vigor, & toroſitas, ſenſuſque neceſſarius.

Eadem ratione oculorum vaſa liberat, viſum impeditum reſtituit, diſpellit quandoque amauroſin.

Huic eidem remedio ſæpe ſurditas cedit; ſæpe odoratus perditus ejus uſu iterum reſtituitur; loquela impedita, fit ſæpe libera, diſtincta.

Reſolvendo tollitur ſæpe rheumatiſmus, aut dolor articulorum inveteratus, & pertinaciſſimus.

COROLLARIUM QUINTUM.

Cicuta tumores ab obſtructione ortos ſolvit, funditque ſcirrhos etiam antiquos, & omnibus aliis efficaciſſimis remediis reſiſtentes.

Nec intereſt in quanam corporis regione tales tumores lateant; æquali vi in omnes partes agit: ſic reſerat glandulas ſublinguales, ſubaxillares, circa aures, in collo, ſub axillis, in pectore, ventre, inguinibus, in ano, uteri vagina, utero, pene, ſcroto, teſticulis, &c.

Ventris ſcirrhos ſolvendo ſæpe hydropem curat.

Infantum ventres duros infarctoſque emollit, & ad ſtatum naturalem reducit.

Unde ſæpe cachexiam corrigit, & ipſam phthiſin, aut hecticam febrem fugat, ſanat.

Pulmonum ſcirrhos fundit, producitque ſputum glutinoſum, hinc tollit difficilem reſpirationem, ſudorem nocturnum, tabem.

Articulorum tumores diſſipat, & reddit flexilitatem, partiumque motum.

COROLLARIUM SEXTUM.

Cicuta ſubinde fundit cataractas, aut eorum progreſſum impedit.

Et

Et hac ratione viſum conſervat, aut auget, aut perditum reſtituit.

COROLLARIUM SEPTIMUM.

SAnguinis acrimoniam emendat & morbos inde pendentes tollit.

Curat acres fluxiones, ſalſedines, pruritum, ſerpiginem, tineam peſſimam, inveteratam & ad omnia rebellem ſcabiem.

Sanat ulcera maxime maligna, fiſtulas, ſinus.

COROLLARIUM OCTAVUM.

TOllit oſſium cariem, aufert corruptionem; lamellarum ſeparationem adjuvat.

Hinc remedium eſt in ſpina ventoſa.

COROLLARIUM NONUM.

CAncrum curat, aut emendat ejus acrimoniam, puſque bonum inducit, ſopit dolores.

COROLLARIUM DECIMUM.

REmedium eſt contra fluorem album malignum, contra gonorrhæam inveteratam, rebellem.

CO-

COROLLARIUM UNDECIMUM.

VOmitum ſiſtit, & pertinaciſſimas cardialgias.

COROLLARIUM DUODECIMUM.

TOllit reliquias ex morbo venereo ſuperſtites, quæ nulli alii remedio cedunt.

COROLL. DECIMUM TERTIUM.

CIcuta curat morbos, qui poſt malignas variolas ſequuntur.

Ad hoc confirmandum binas mihi hiſtorias ſcripſit celeberrimus hujus civitatis medicus Dominus *Lebmacher*.

Hiſtoria prima eſt de proprio ejus filiolo, quam ita habet: " chariſſimus meus
" quinque menſium filius, ſaniſſimus, vi-
" geſimo ſexto Februario anni 1760 va-
" riolis corripitur, quæ, licet diſcretæ, non
" tamen adeo bonæ indolis erant.

" His dum nono morbi die ſubita diarr-
" hœa accederet, factum eſt, ut omnes
" ſiniſtri lateris puſtulæ a facie ad pedem
" uſque collaberentur, dum illæ lateris
" dextri elevatæ manerent.

" Dum hæc fiunt, brachium totum
" ſiniſtrum, genu peſque ſiniſter extre-
" mus mirum in modum intumuerunt,
" cum motus impotentia, & dolore ſum-

" mo;

" mo; quem miſellus triſtiſſimo ejulatu,
" ſi attrectaretur, teſtabatur.

" Verum hæc mala nullo aperturæ,
" nec natura, nec arte faciendæ, indicio
" induſtria dexterrimi chirurgi *Leber* qua-
" tuor fere menſium ſpatio percurata ſunt,
" ut nullum ſive motus ſive alterius ac-
" tionis impedimentum ſuperfuerit.

" Interim cum moroſus puer neque
" in variolis, neque toto alio tempore
" ullum medicamentum, ſeu vi ſeu frau-
" de aſſumeret, quin illud ſubito ore red-
" deret, nec lac maternum cum cibis lac-
" teis demulcendæ cacochymiæ variolo-
" ſæ ſufficeret, ſucceſſu temporis totum
" corpus innumeris, ichoroſis, peſſimis
" ulceribus a vertice ad plantam uſque
" ita depaſcebatur, ut præter turgidum
" abdomen ſola ulceroſa cutis oſſa tege-
" ret.

" Suo fato in deplorando hoc ſtatu uſ-
" que ad vigeſſimum primum ætatis men-
" ſem, Junium nempe 1761 relictus pu-
" er nullam omnino ſalutis ſpem dede-
" rat, omnibus quotidie in pejus ruenti-
" bus. Volui tandem tentare quid ex-
" tractum cicutæ, quomodocunque in-
" geſtum, in hoc morbo efficere poſſit.

" Dedi itaque ad initium Junii quo-
" tidie grana duo unum mane in bacca-
" rum

"rum caffée & hordei toſti decocto tenuiori, addito lacte, & alterum veſperi, ne adverteret, in potu coccolatæ.

"Sic ſenſim doſin auxi, ut quotidie grana ſex ſumeret, nulla interim habita diœtæ ratione.

"His factum eſt, ut ulcera bonum pus ſundere, depurari, conſolidari, in toto corpore evaneſcere inciperent, una alterave cruſta in parte capillata capitis reſtante.

"Viribus jam medio Julii ita auctis, ut agilis in cubiculo foriſque erecto capite, oculis nitidis, apertis, curreret, nec ſolis radios, nec candelæ lumen formidans, quod per duos menſes ob inflammatos oculos admotis ſemper ad eaſdem manibus demiſſo capite ferre non potuit.

"Sic ſenſim moroſiſſimus antea puer jam tota fere die ludibundus alacriter currit."

Sumpſit autem extracti cicutæ drachmas ſex, nec aliud præterea medicamentum.

Lectores optimi! ſi vel unicus hicce caſus eſſet: an non cicuta maximam laudem mereretur?

Data eſt cicuta infanti extenuato, ulcerato,

rato, peſſime cachectico, curatus inde eſt hicce infans.

Eſt igitur cicuta remedium innocens, eſt remedium efficax.

Sunt quidem terribiles in medicina calculatores, qui forſan hanc curationem in decoctum hordei toſti, vel infuſum caffée, vel in coccolatam, vel in vim naturæ ponent.

Verum ſciant hi, hunc infantem hos potus jam ante uſum cicutæ aſſumpſiſſe, & tamen res quotidie ruit in pejus, hinc tunc nec vis naturæ egit, nec hicce potus. Sed quam primum cicutæ extractum datum fuit, infans cœpit melius ſe habere.

Unde tibi, cicuta! laus debetur.

Secunda hiſtoria, ab eodem doctiſſimo viro mihi communicata, eſt ſequens:

"Sub finem Junii 1761 forte conve-
"ni nobilem quandam fœminam viginti
"trium annorum, quæ octodecim abhinc
"annis variolis confluentibus laboraverat,
"quarum triſtes reliquias adhucdum lu-
"get; præter amiſſum enim dextrum
"oculum ulcus in gena dextra cum tu-
"more duro habet.

"Varia, ut illa narrabat, interna, ex-
"terna ad hoc conſolidandum tentaban-

" tur remedia; ſed omnia (ipſa quoque
" ſalivatio) incaſſum adhibita fuerunt.

" Boni de extracto cicutæ in ſimili
" etiam morbo ſucceſſus memor eidem
" hoc remedium ſuaſi.

" Quæ licet medicamentorum jam per-
" tæſa, annuit tamen.

" Incepit itaque prima Julii ſumere de
" cicutæ extracto quotidie grana octo.

" Ulcus remoto emplaſtro, neſcio qua-
" li, linteo, decocto cicutæ madido, fo-
" veri curavi.

" Poſt octiduum jam tumor minor
" molliorque apparuit, & in margine ul-
" ceris levia cicatricis formandæ indicia
" videbantur.

" Interim in medio ulceris hinc inde
" caro fungoſa excrevit, quæ inſperſo
" cicutæ pulvere abſumpta eſt.

" Cruſtam vero melle roſarum, cum
" eodem pulvere permiſto, abſtuli, quæ
" toties repetebantur, quoties fungoſa ca-
" ro repululavit.

" Interea numerum pilularum ſenſim
" auxi ita, ut tribus elapſis hepdomadi-
" bus jam quotidie grana triginta duo ſu-
" meret.

" In qua doſi hucuſque permanſi uno
" alterove die intermiſſo.

" Sub

" Sub hoc tempus tumor, durities fere
" penitus diſparuerunt, ulcus depurari,
" exſiccari, & levi pellicula obduci cœpit,
" jamque ita clauſum per ſex hepdoma-
" das manet.

" Perget hæc fœmina in eadem cicu-
" tæ doſi, donec firma fuerit cicatrix.

" Ab initio Junii hucuſque ad finem
" nempe Septembris jam ſumpſit uncias
" quatuor extracti cicutæ.

" Ex nullo alio medicamento per oc-
" todecim annos quidquam profecit.

" Nunc autem uſu cicutæ appetitum
" augeri ſentit, pingueſcit, doloribus rheu-
" maticis, quibus alias vexabatur, libera
" eſt, nec de ulla re conqueritur."

An quis ſanæ mentis homo dubitat de cicutæ efficacia?

Cum autem cicuta agat in venenoſas variolarum reliquias, oritur quæſtio: an non & in ipſo morbo varioloſo, maligno, parca doſi, & prudenti manu atque provido judicio eam adhibere licitum eſſet? Naturæ anologum eſt, & infinitis experientiis conſtat vegetabilia cujuſcunque generis in noſtro ventriculo poſſe digeri & in inguilinos humores converti; id autem de mineralibus nequaquam verum eſt.

Vegetabilia igitur facilius a noſtra natura feruntur, & longe tutius conveniunt.

Ergo: ſi aliis licuit in viroſa variolarum diſpoſitione mercurio uti, & antimonio, cur non & nobis daretur venia ſine omni conſcientiæ remorſu, ut cicutam tentaremus, dum optima remedia hucuſque cognita nil efficiant? Hi bini caſus a doctiſſimo Lebmacher hic erant maxime neceſſarii ad theſin meam comprobandam.

Habeo & ab aliis tam hujatis, quam exteris medicis pulcherrimas, & feliciſſimas de cicuta hiſtorias, habeo & tales, quæ minus feliciter ſucceſſerunt; verum judicavi omnes has in aliud tempus eſſe aſſervandas.

MONITA.

Hæc corollaria ex repetitis experientiis deducta, confirmataque ſunt.

Rogo tamen omnes, & ſingulos medicos, ne ſibi perſuadeant, me ejus eſſe opinionis, ut credam: hæc generalia eſſe & ubique cicutam debere curare.

Dico & fateor palam: me quoque in omni genere habuiſſe ægros, quibus cicuta non profuit, licet ex morbi ſimilitudine fuiſſet indicata.

Caſus

Caſus tamen quos ennarravi veros eſſe, non credo, erit, qui dubitet.

Si tamen quis de rei veritate ambigeret, meamque probitatem ſuſpectam haberet adeat is *Illuſtriſſimum van Swieten*, qui ægrorum nomina habet, habitationiſque locum.

Felicem me! cui ſub *tanti viri* auſpiciis licet facere medicinam.

Vidi ægras peſſimo mammæ cancro laborantes, quas cicuta cito juvit, erant autem plures aliæ, quibus cicuta ſolummodo levamen attulit, non vero eas curavit; aliæ ex uſu cicutæ nullam expertæ ſunt mutationem; una alterave cicutam non potuit ferre.

Idem circa alios morbos, in quibus cicutam laudavi, intellectum volo.

Nam tantum contendo: cicutam quandoque prodeſſe, & mira præſtare, ubi alia medicamenta maxime celebrata, & heroica, nil valent.

Si & alii medici alia adhuc remedia inveniant, poterimus ſucceſſive omnes difficillimos morbos ſanare.

Profecto! mihi gratulor, dum audio, plures eſſe medicos, qui circa diverſa vegetabilia meum exemplum ſequuntur.

Quot

Quot adhuc millia plantarum ſunt? quarum virtutes ignoramus. Verum ad has detegendas induſtria, labore, providentia, & animo, ab omni ſecta libero, opus eſt.

Nec jura in verba magiſtri.

Præterea tamen firmiter ſemper in mente erit tenendum: arti & medicamentis eſſe limites.

Cum jam cicuta in eodem morbo quandoque proſit, quandoque autem nil præſtet, certum eſt, debere latere quandam differentiam, cujus ſigna dignoſtica nobis adhucdum deficiunt.

Neque ego ſolus ad ea determinanda ſufficio; atque ideo nequaquam potui huсuſque dare firmas regulas.

Ii autem, qui me adjuvare potuiſſent, debuiſſentque, manum traxerunt de tabula, imo acri diſcurſu, & reiteratis ad artis filios ſermonibus mea opuſcula damnarunt, proſcripſerunt, igne ferroque ea deleta voluerunt.

Heu me! miſera hominum ſors.

Ego in binis meis de cicuta libellis caſus felices, & infelices enarravi, & monui præterea ſemper: cicutam non omnibus æque profuturam, dixi jam in ſecundo libello, mihi futurum ſatis, ſi uſu ci-

cutæ

cutæ unum ægrum ex centum conſervavero & curavero, qui aliis medicamentis non potuiſſet reſtitui.

Si ex aliis nonaginta novem medicis quivis tantum præſtiterit, quantum ego, tunc omnes centum reſtituantur.

An quis ſincerius, honeſtiuſque poſſet ſcribere? mundo licet ſua experimenta fideliter & caute proponere, cuivis autem medico liberum dein eſt, velle uti tali remedio, aut velle illud negligere.

Nec honorem, nec gloriam, nec nomen immortale, nec lucrum deſidero, vellem tantum eſſe utilis miſero, & ægrotanti humano generi, vellem calamitates levare, auferre; uti cujuſvis medici officium poſtulat, vellem propterea alii me non turbarent.

Aliquot centenas libras extracti cicutæ ægris exhibui, & vera conſcientia affirmo: me nulli unquam nocuiſſe; etenim dum vidi rem bono eſſe in tramite acriter perexi, continuavi, auxi doſin; quamprimum autem obſervavi (quod quidem rariſſime accidit) ægrum inde bene non habere, abſtinui ſepoſuique cicutam. Ita ars jubet.

Cum igitur hoc medicamentum prudenter exhibitum nequaquam poſſit nocere, artis

artis officium exigit, id omnibus plurimum commendetur, ut fiant innumera experimenta, quæ conferantur inter ſe, comparenturque ſecundum omnia ſigna, ſymptomata, eventus; inquirantur dein rationes & cauſæ, cur in eodem morbo quandoque proſit cicuta, & radicaliter curet, & cur autem quandoque nil efficiat.

Viſa differentia, inventa rei cauſa clare patebit: quouſque cicutæ efficacia ſe extendat, poteritque dein dari ratio: cur cicuta non in omnibus æqualiter agat, & tunc facile erit determinandum, quibus in caſibus evidenter conveniat, in quibus præſtet nihil.

His in ordinem redactis poterimus iis in caſibus ubi cicuta iners eſt, de alio remedio cogitare.

Tali ratione cum ingenti reipublicæ emolumento limites noſtræ artis ampliores fient.

Ego jam in aliquibus caſibus, ubi cicuta id non præſtitit, quod ex ea ſperavi, aliud remedium adhibui, nec in ſucceſſu inanis fui.

Si hoc non ſufficit: iterum aliud paratum habeo.

Sic per gradus aſcendam, & ſpe maxima fretus ſum, fore ut Deus optimus meos

meos conatus, qui unice in proximi ſalutem fiunt, ſecundet.

Adverſariis meis hic ſancte promitto: me eo majorem in hoc ſtudii genere operam impenſurum, quo magis ipſi conabuntur me turbare, impedire.

Dum recte facio, neminem timeo.

Licet cicuta ſit remedium maxime innocuum, optarem tamen, quivis medicus ſemper a parva doſi inciperet, ſenſimque augeret.

Novimus enim quam miræ & diverſæ ſint hominum idioſyncraſiæ, hinc poſſent quidam eſſe, qui remedium minus ferrent.

Parva igitur doſi nemo peccabit, quoniam quivis bonus medicus, dum ſiniſtri quid obſervat, abſtinebit a remedio.

Verum bene ſemper eſt conſiderandum: an accidat id ex medicamento: an ex ſymptomatibus morbum concomitantibus, an ex errore in rebus ſex non naturalibus commiſſo.

Sunt qui ex aſſumptis lapidibus cancrorum, qui certo remedium ſunt innocentiſſimum, anguntur, vomunt, febre corripiuntur, incidunt in animi deliquia, cur non & eſſe poſſent, qui, ex latente cauſa, a cicuta male haberent?

Verum an ideo cicuta non eſt medicamentum? an cicuta ideo debet damnari? nemo prudens medicus ita cogitabit.

Si uſu cicutæ ægro cuidam damnum infertur, id profecto (ſi rem medice, & ſtricto ſenſu prehendamus) non in medicamentum applicatum, ſed in errorem applicantis erit rejiciendum.

Sæpe aliena morbo ſymptomata junguntur, hinc tunc requiritur, ut & alia præter cicutam remedia præbeantur.

Si ſpaſmi urgent aut convulſiones, tunc deſiderantur nervina, antihyſterica.

Si dolores vehementes ſint, neceſſaria erunt remedia paregorica, opiata; febris magna, & pulſus elevatus refrigerantia, nitroſa exigunt.

In nimia corruptione jungitur cortex peruvianus, aut ſi ſub uſu cicutæ oritur febris intermittens.

Subinde purgatione opus eſt, ſubinde venæ ſectione.

Nimius in hunc locum acrimoniæ affluxus fonticulum, aut ſetaceum poſtulat.

Neque externe debet ſemper fomentum aut cicutæ cataplaſma apponi, verum mutanda ea ſunt, ſecundum boni medici aut chirurgi judicium & experientiam.

Si linteis carptis deligentur ulcera, tunc in auferendo debet magna cautela agi, ne adhærentia nudiſſimis vaſculis filamenta vi avellantur, unde poſſent omnia lædi;

oriretur

oriretur haimorrhagia, & inde ſæpe caro fungoſa propululat.

Omnia debent prius leniſſimo cicutæ infuſo, aliove apto liquido humectari.

Symptomata magis urgentia ſæpe jubent, ut cicutæ uſus tam externus quam internus interrumpatur pro aliquo tempore, donec hæc curata fuerint, aut ſaltem mitigata.

Qui cicutam non ferunt, cum his palliative eſt agendum, quamdiu aliud remedium ignoramus.

Suinde oſſa, tumores, ſcirrhi in ſuo meditulio maximum habent dolorem; obſervavi ſæpius eo in loco tunc fuiſſe eroſionem corruptionemve; corruptum autem a ſano debet ſeparari, id autem perfici non poteſt, niſi fiat apertura verſus exteriora, hæc quandoque applicatione medicamenti chirurgici, aut inſtrumento chirurgico fieri debet, ſæpe autem ſponte fit ex uſu cicutæ.

Prodit tunc ſanies, & fit ulcus cavum.

Rem minus intelligentes credunt talia ab uſu cicutæ fuiſſe corrupta, eroſave, ubi tamen, continuato in eodem caſu cicutæ uſu tam interno, quam externo, ſæpiſſime ſanitas perfecta ſequitur.

Vidi aliquoties ex uſu cicutæ quoſdam in glandulis ſcirrhos eſſe ſolutos, in aliis autem partibus novos comparuiſſe.

Mirum id erat; verum ægri ſemper bene ſe habuerunt, unde pertinaciter idem remedium continuavi, & ægros reſtitui.

Talia peritum nunquam terrent: & ideo nequaquam debemus ilico mutare medicamentum.

In victu ſunt farinacea non fermentata vitanda, ut & aromatica nimium acria.

Acida pro condimento conceduntur, prædominantia vero minus conducunt.

Vinum bonum iis, qui aſſueverunt, non nocet.

In parte affecta frictus, aut motus fortior plerumque malum augent.

Si ægri vivant in aëre puro, libero, & ſi mentem quocunque modo erectam, & hilarem conſervent, multum ad curationem confert.

Triſtitia, melancholia, mentis inquietudines curam retardant, impediunt, nova mala producunt, & ſæpe ex ſcirrho faciunt cancrum.

Tempus quo cicuta curet, & tumores reſolvat, determinari non poteſt.

Etenim quandoque cito id perficitur, quandoque admodum lente.

Neque

Neque ſemper eadem tumorum, ulcerum, cancrorumque natura eſt.

Fœminæ ultra duos annos ob colli tumores dedi cicutam magna doſi, nulla fiebat in his tumoribus mutatio, cum tamen menſtrua longe liberius fluerent, vires eſſent majores, mens alacrior, totuſque corporis habitus longe magis perfectus, rogavit ipſa ægra, ne ſibi negem has pilulas.

Tandem poſt binos & dimidium annos fundebantur tumores, & omnia ad ſtatum naturalem redacta ſunt.

Nec diuturnus uſus nocuit.

Aliam fœminam habeo, quæ ob cancrum mammæ tantum mane ſumit duo cicutæ grana, & ſequitur adeo bona, & celeris mutatio, tumoriſque diminutio, ut adſtantes & ego admiremur, licet fœmina ſit ſeptuaginta annorum.

Urina huic fœminæ copioſiſſime profluit, cum multo glutinoſo ſedimine; dum autem uno die a cicuta abſtinet, pauca eſt urina, nec videtur ſedimentum.

In morbis circa renes, veſicam urinariam, & urinæ vias data cicuta quandoque pulcherrimos præſtat effectus.

Subinde curat urinæ retentionem, ſtranguriam; ſæpe mingendi dolores opio citius ſiſtit.

Nec

Nec in calculi affectionibus contemnendum eſt cicutæ extractum.

Ex his patet dignum eſſe, ut cum cicuta fiant experimenta.

Ego interim nullam ejus virtutem ſpecificam aſſero, ſed ad regulas formandas mutuam bonorum medicorum operam exſpecto.

ANTONII STÖRCK,

SACRÆ, CÆS. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII AULICI,
ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO PAZMARIANO PHYSICI

LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR:

STRAMONIUM, HYOSCIAMUM, ACONITUM

NON SOLUM TUTO POSSE EXHIBERI USU INTERNO HOMINIBUS,
VERUM ET EA ESSE REMEDIA IN MULTIS MORBIS
MAXIME SALUTIFERA.

VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAREÆ REGIÆ
MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXII.

PRAEFATIO.

AFfici morbo, moleſtum eſt.

Ferunt tamen aegri hanc moleſtiam facile, dum ſpes curationis ſupereſt.

Dum vero poſt diuturnum multorum medicamentorum uſum morbus non tantum non levatur, verum redditur adhuc pejor, tunc malum oritur, quod morte ipſa eſt acerbius.

Etenim aegri, qui continuis miſeriis divexantur, omni momento vitae finem precantur, exoptant.

Non inutilis igitur erit labor, qui ad curandos graviores morbos, & ad detegenda nova ac efficacia remedia impenditur.

Herbae venenatae nobis multum promittunt.

Demonſtrant id experimenta, quae hiſce pagellis de *Stramonio*, *Hyoſciamo*, & *Aconito* enarrantur.

Harum

Harum quidem herbarum virtus ſpecifica his nondum determinatur; nam plurimum hucuſque in eo verſabar: ut doceam primo, qua ratione hae ſine noxa poſſent dari aegris, & ut praevie dein indicem, in quonam morbo videantur convenire.

Interim certus ſum, eum, qui exacte in experiundo fuerit meam normam ſecutus, nociturum nemini, & profuturum plurimis.

CAPUT

CAPUT I.

De Stramonio.

Dum biennio abhinc officium aulicum poſtulavit, ut aeſtatem tranſigerem in Hetzendorf, curamque *Familiae Imperialis*, ibi degentis, gererem, ſaepius tempore matutino aut veſperi per prata, colles, valleſque vicinos ambulavi, inquiſiturus plantas, iis in locis creſcentes.

Non adeo ad characteres botanicos adtentus eram, verum quamlibet plantam, mihi cognitam, conſideravi ſolummodo: cujus utilitatis eſſet, quonam in morbo a Medicis exhiberetur, qualem praeſtarat effectum.

Inveni plerumque herbas maxime notas, & ubique in uſum medicum receptas, probataſque multa experientia, & annoſa praxi.

Menſe autem Junio, Julio, Auguſto, vidi penes hortum Imperialem in Hetzendorf, & in viciniş locis, circa Schönbrunn, Pentzing, & Hietzing, ingentem copiam *Stramonii* provenire, creſcere, florere.

Stramonium, herbae nomen eſt officinale*; Botanicis dicitur *Datura*, pericarpiis ſpinoſis, erectis, ovatis,

* Germ. *Stech Apfel.*
Gallis, *Pomme épineuſe.*
Anglis, *Thorn-Apple.*
Datura Offic.
Datura fructu ſpinoſo erecto, calyce pentagono.
Solanum maniacum Dioſc. Colum.
Solanum foetidum pomo ſpinoſo oblongo, flore albo. C. B.

ovatis. Vide ſpecies Plant. *Linaei* pag. 179. Ab aliis nominatur *Solanum foetidum* pomo ſpinoſo, oblongo, flore albo, infundibuliformi. Vide *Bauh.* pin. 168.

Novi hanc plantam extra omnem uſum medicum eſſe, deſcribique ab Auctoribus generi humano & brutis ſumme nocivam.

Novi autem ſimul, quaenam olim eſſent ſcripta de uſu Cicutae, quae omnia maximam hujus plantae vim deleteriam clamitabant.

Quod tamen dein reiterata experientia falſum repertum, demonſtratumque fuit.

Habetur enim inde remedium, quod tuto aegris datur, & juvat multoties.

Haec dum ſaepius animo volvi, ſtatui tandem Stramonium colligere, & ad tentamen medicum vocare.

Experiundum erat primo: id ne verum eſſet, quod Botanici hac de planta ſcribunt.

Legitur apud quoſdam: *Si tantum olfeceris Stramonium, ebrietatem facit.*

Periculoſum igitur erat experimentum: nihilominus tamen inde non terrebar, & eo, quo coepi, pede perexi.

Die vigeſimo tertio Junii anni 1760, ſummo mane, jejuno ventriculo ex meis aedibus diſceſſi, plantam hanc quaeſivi, & ſat magnam ejus copiam collegi.

Fricui folia caulemque digitis, fortiter, & frequenter olfeci; percepi quidem gravem, & ingratum nauſeoſumque odorem, verum nil temulenti, nil inebriantis adverti.

Laetabar propterea, & ad experimentum fiebam audacior.

Tertio

Tertio die curavi magnam quantitatem hujus plantae adferri.

Et ego ipſemet eam in minuta fruſta conſcidi, (abjecta ſolummodo radice) dein in mortario marmoreo contudi, & ſuccum expreſſi.

Nil mali inde in me ortum fuit, nec meus famulus, qui mihi aſſiſtebat, quidquam conquerebatur, licet ſaepius & ſollicite eum rogaverim.

Peracto hoc labore optime coenavi, & in eodem cubiculo, quo haec fiebant, clauſis feneſtris, tota nocte tranquille dormivi.

Mane evigilans praeter conſuetudinem ſenſi obtuſum capitis dolorem; caeteroquin eram agilis, ſerenus, & ad mea negotia aptus.

Sumpto jentaculo evanuit quoque obtuſus capitis dolor.

Ex herba conſciſſa expreſſi octo libras ſucci, & hunc lento igne, in vaſe terreo, vitreato, (ſaepius agitando ſpatula lignea, ne amburatur) ad extracti conſiſtentiam redegi.

Vapor avolabat admodum ingratus; is tamen nec mihi, nec meo famulo, qui ſimul inſpiſſandi curam gerebat, caput turbavit.

Extractum in loco frigido coiit in maſſam nigram, friabilem, quae innumeris oblongis ſpiculis ſalinis ſplendebat.

Hujus maſſae granum unum & dimidium linguae meae impoſui, & cum inde nil incommodi ſenſerim, id palato fortiter appreſſi, & ſaepius lingua volvendo diſſolvi.

Adeo ingratum & nauſeoſum tunc ſaporem percepi, ut rejeciſſem id ilico, niſi experimenti amor aliud ſuaſiſſet.

Solutum tandem deglutivi penitus.

Manſit poſtea per quadrantem, horae ingratus, & graveolens in ore ſapor, qui ſenſim ſponte evanuit.

Aſſumpto hoc per tres horas nil bibi, nil comedi, ut viderem quid accideret.

Verum adtentus licet fuerim, nil tamen obſervavi, habui me eo die aeque bene ac alias; nec turbabatur memoria nec vis judicandi.

Laetabar plurimum ſuper hoc eventu.

Timui quidem, fateor, in principio, ne id mihi contingeret, quod Auctores de hac planta notarunt.

Etenim mentis privatio morte ipſa acerbior mihi videtur.

Cum autem facto primo experimento in proprio meo corpore nil prorſus mali adverterim, nec eodum die, nec diebus ſequentibus, concluſi: *Stramonii* extractum parca doſi poſſe tuto exhiberi hominibus.

Agebatur tunc de morbo, in quo conveniret, & de aegris, quibus prodeſſet.

Conſului iterum veteres recentioreſque ſcriptores, nil autem, quod mihi faveret, inveni; etenim omnes ſcribebant: *Stramonium* turbare mentem, adferre inſaniam, delere ideas & memoriam, producere convulſiones.

Omnia haec erant mala, interdicebantque internum *Stramonii* uſum.

Interim tamen ex his formavi ſequentem quaeſtionem: *Si Stramonium turbando mentem adfert inſaniam ſanis, an non licet experiri: Num inſanientibus & mente captis turbando, mutandoque ideas, & ſenſorium commune adferret mentem ſanam, & convulſis tolleret contrario motu convulſiones?*

Erat haec idea a longe petita, nec tamen omni felici eventu caruit.

En experimenta!

Experimentum I.

FILIA, 12. annor., a binis menſibus inſaniebat, ad rogata turbate reſpondit; neque ea verba, quae protulit, poterat bene exprimere.

Moroſa erat, & inobediens, nec bonis verbis, nec ſeveris potuit redigi ad debitum officium.

Tantata remedia nil juvabant. Dabatur igitur huic mane dimidium granum extracti *Stramonii* (Pilulae forma) & veſperi repetebatur eadem doſis, ſuperbibendo qualibet vice vaſculum juſculi vitulini, vel infuſi Thée.

Spatio quatuordecim dierum uſu hujus extracti, nil prorſus mutatum fuit in hac aegra.

Verum tertia ſeptimana coepit fieri minus moroſa, longe aptius ad rogata reſpondit, & loquebatur ſatis diſtincte.

Intra binos menſes continuato ſemper eodem remedio (aucta tamen doſi, etenim ſecundo menſe ter quotidie ſumpſit pilulam dimidii grani) optime coepit ratiocinari, & preces ſuas matutinas ac veſpertinas (quod antea non potuit) clara & diſtincta voce recitavit, bonam habuit memoriam, & mens ſenſim integre redibat.

Ex his eram convictus: *Stramonii* extractum poſſe dari tuto, diu, & bono cum effectu.

Experimentum II.

FOemina, 40. aliquot annorum, vertigine jam a binis annis laboravit, nec ulla ope potuit inde levari.

Mens ſenſim turbata eſt, & vertigini ſe junxit dementia.

Ferebatur tunc ad noſtrum Noſocomium.

Appli-

Applicata remedia prorſus nullum levamen adferebant.

Imo coepit haec aegra inſanire fortiter, furere, & noctu ſurrexit e lecto, clamando turbavit, terruitque alias aegras, & quaſdam voluit vi e lecto emovere.

Hoc in ſtatu dedi mane & veſperi granum dimidium extracti Stramonii.

Primo ſtatim die fiebat pacatior, noctu autem aeque furioſa fuit ac antea.

Tertio die dedi mane unum granum hujus extracti & unum veſperi.

Omnia ſymptomata inde mitiora reddebantur.

Aegra noctu quidem clamavit, verum e lecto non ſurrexit, & brevi iterum obdormivit.

Quarto die jam ad rogata coepit aptius reſpondere, mox tamen iterum in priſtinas ideas incidit.

Dies, nocteſque tunc erant ſatis tranquillae, pacatae.

Octavo die dedi ter quotidie granum unum extracti Stramonii.

Hac doſi in quartam ſeptimanam continuatum eſt. Hoc tempore componebatur omnis furor, evanuit inſanies, rediit mens, loquela, judicium, & aegra tota nocte aeque bene dormivit, ac aliae ejus ſociae.

Aptiſſime ad omnia reſpondit, bene comedit, imo erat vorax, vires habuit bonas, deambulavit in cubiculo, & extra cubiculum in libero aëre.

Attamen vertigo eam frequenter & ſubito, ut ante uſum hujus remedii fieri ſolebat, turbavit, & ſubinde adeo vehementer, ut aliquoties quaſi apoplectica ceciderit, interim mente ſibi erat ſemper praeſens.

Mihi

Mihi ſufficiebat: quod extractum Stramonii inſaniam curaverit, & quum viderem, quod vertigo inde non emendaretur, abſtinui ab hoc medicamento.

Varia iterum tentavi, quae vertiginem tollerent, efficere autem nil potui.

Per quinque menſes haec miſera in noſocomio adhuc vixit; omnes mentis functiones erant bonae, vertigo autem ſenſim fiebat fortior, frequentior.

Et dum aegra erecto corporis trunco & capite in lecto ſedit, libera fuit, dum vero capite paulo profundius jacuit, vel dum corpus movit, acceſſit ilico caligo, vertigo, anxietas.

Vires ſenſim diminutae ſunt, demum ſupervenit vera apoplexia, & ſubita mors.

Sectione Anatomica invenimus omnes venas cerebri varicoſas; ſinus falciformis ex anteriore parte erat ad longitudinem unius & dimidii pollicis oſſeus, anteriores bini ventriculi cerebri erant praeternaturaliter diſtenti, repletique multis hydatidibus diverſae magnitudinis & formae.

In reliquo corpore viſcera omnia ſaniſſima reperta ſunt.

Ex his poſt mortem inventis patet: vertiginem in hac aegra fuiſſe malum immedicabile.

Quis enim Medicus, etiamſi hujus morbi cognoviſſet veram cauſam, potuiſſet hydatides tollere, aut ſinum oſſeum ad mollitiem naturalem reducere?

Sufficit, quod uſu Stramonii fuerit furor compoſitus & inſanies curata; quodque nullum malum ſymptoma inde ſit ortum.

EXPERIMENTUM III.

RUſticus, 32. annorum, a tenera aetate diris convulſionibus, & vera epilepſia omni tertia quartave ſeptimana adeo vehementer afficiebatur, ut poſt quemlibet paroxyſmum manſerit debilis, mentiſque ſuae impos, & demens per plures dies.

Corripiebatur is febre acuta, putrida, unde ferebatur ad noſtrum noſocomium.

Poſtquam per dies quatuordecim in noſocomio fuit, coepit convaleſcere.

Finita tertia ſeptimana, dum ex noſocomio voluit diſcedere, invaſit eum convulſio & vehemens epilepſiae paroxyſmus, qui per integras tres horas duravit.

Finito paroxyſmo deliravit abſque febre, & vires habuit penitus proſtratas.

Propinavi ei tunc emulſum ſequens :

℞. Camphorae gr. xv.
Sem. Melon.
Amygd. dulc. aa. unc. jß.
F. C. Decoct. hord. Emulſ.
Colaturae lib. ij. Adde
Syrup. Diacod.
—Menth. aa. unc. j.
M. S. ſumat aeger omni bihorio duo cochlearia.

Spatio viginti quatuor horarum augebantur vires, aeger ſe ipſum in lecto erexit, nec manibus amplius tremuit, verum delirium non ceſſavit.

Tertio die vorax erat, & vi aliis aegris voluit cibos arripere, & oblata avidiſſime deglutivit.

Delirio per vices acceſſit furor.

Quarto die incepi dare mane unam pilulam (grani unius) de extracto Stramonii, veſperi eandem doſin iteravi. Nox

Nox pacata fuit.

Die quinto nullus advertebatur furor, attamen erat adhucdum mens penitus alienata, nec ullum aptum reſponſum dedit aeger.

Interim obediens fuit in omnibus, nec ea, quae ei offerebantur, adeo avide deglutivit; nec facies amplius adeo torva erat.

Sexto die eadem doſi continuavi, & ſymptomata erant quoque eadem.

Idem obſervabatur die ſeptimo.

Nec quidquam mutatum fuit octavo die.

Nono die dedi ter pilulam unam grani unius.

Hoc die erat aeger valde pacatus, & per plures horas poſt meridiem dormivit.

Mens erat adhucdum turbata; attamen noctes omnes optimo & profundo ſomno tranſigebantur.

Decimo die ſaepius apte reſpondit, & famem conqueſtus eſt.

Undecimo die ambulabat per cubile, & aliis aegris loquebatur, dum vero aliquamdiu loqui continuavit, turbabatur iterum & inepta protulit; paulo poſt autem ipſe agnovit quod erraverit, unde ſe correxit, & bona ratione ad priora rediit.

Duodecimo die fere nihil ſiniſtri obſervatum eſt.

Decimo tertio die optime ſe habuit, dixitque, ſe nunquam caput adeo liberum, & mentem ita ſerenam habuiſſe, ſeque fere toto vitae tempore languiſſe, nunc omnia mutata eſſe, omnia vigere, & eſſe agilia.

Retinui eum in noſocomio, ut viderem: An paroxyſmus debito tempore rediret?

Interea quotidie dedi ei pilulas tres, & victum ſanorum.

Alvum depoſuit quotidie naturalem, urinam autem miſit copioſam, pallidam.

Omnes functiones erant liberae, ſanae, robur erat integrum, & muſculi omnes toroſi.

Sub initium quartae ſeptimanae eum ſubito, praeter omnem opinionem, invaſit paroxyſmus epilepticus.

Is autem levis fuit, nec ultra horae quadrantem duravit.

Nec aeger inde vires amiſit, nec mens ei emota eſt.

Laetabar propterea, fecique, ut aeger eaſdem pilulas in eadem doſi continuaret.

Poſt paucos dies, dum optime ſe haberet, rogavit, darem ei bonam harum pilularum portionem, ut iis domi ſuae poſſet uti, promittens, ſe ilico rediturum ad me, ſi vel minimum malum adverteret.

Verum ab eo tempore eum non amplius vidi.

Cum bonum ex his pilulis effectum habuerit, credo, quod noſocomium iterum acceſſiſſet, ſi eum denuo morbus prehendiſſet.

EXPERIMENTUM IV.

PUELLA, 9. annor., jam a quatuor ſeptimanis quotidie aliquoties fortiſſima convulſione totius corporis vexabatur.

Medici peritiſſimi omnem operam impenderunt, ut miſerrimam hanc puellam liberaſent.

Morbus tamen nequaquam mitior factus eſt.

Suaſi: ut daretur mane & veſperi granum dimidium extracti Stramonii.

Augebantur inde convulſiones.

Altero die iterum mane dabatur dimidium granum, & totidem veſperi; verum magis increvit morbus.

Ceſſa-

Ceſſatum tunc eſt per aliquot dies ab uſu hujus extracti; tandem denuo fuit exhibitum, aſt priora oriebantur ſymptomata.

Hinc erat ilico in hac aegra ab hoc remedio abſtinendum, & ad alia iterum recurrendum.

Experimentum V.

JUVENIS, viginti aliquot annorum, jam a pluribus annis ſaeviſſima epilepſia laboravit.

Cauſam mali ignorabat.

Paroxyſmus eum quotidie quater, quinquies, ſexies aut ſepties ſubito invaſit, iſque ſemper per mediam horam & ultra duravit.

Vires inde debilitabantur, mens fiebat hebes, facies tota triſtis & melancholica.

A nullo remedio hucuſque levamen habuit.

Dedi igitur ter quotidie granum dimidium extracti Stramonii.

Hac doſi per quatuor dies utebatur aeger, verum nullum inde mutationem percepit.

Dedi dein ter quotidie granum integrum.

Unde paroxyſmi fiebant minus frequentes, mitiores, breviores.

Senſim mens reddebatur ſerenior, facies hilarior, & loquela liberior, quae antea difficilis erat & impedita.

Vigeſimo die dedi quatuor grana.

Morbus dein erat adeo mitis, ut per diem tantum unus alterve levis paroxyſmus adverteretur.

Corporis vires auctae ſunt, & omnis melancholia ſenſim diſparuit.

Trigeſimo die dedi quinque grana.

Trigeſimo primo die bini tantum leves paroxyſmi obſervabantur.

Trigeſimo ſecundo & tertio die aeger penitus liber fuit.

Trigeſimo quarto die ter eum morbus invaſit, & multo vehementius quam die trigeſimo primo.

Trigeſimo quinto ſextoque die aeger bene ſe habuit, appetiit, fuit hilaris.

Trigeſimo ſeptimo die bis convellebatur fortiter.

Trigeſimo octavo die tres leves paroxyſmi obſervati ſunt, qui tantum per unicum momentum durarunt, & ſub his mens non eſt turbata.

In procedentibus vero paroxyſmis ſemper delebatur memoria, & omnis ſenſatio.

Trigeſimo nono die liber fuit aeger. Dedi eodem die ſex grana extracti Stramonii.

Hac doſi continuavi adhuc per integrum menſem, & aeger erat fere curatus, tunc autem remedium mihi defecit, & erat tempus hyemnale, quo parari non poterat.

Hinc experimentum, quod optime ceſſit, erat interrumpendum.

Suaſi: ut alia interim ſumere tremedia; verum quum ei has pilulas amplius dare non potui, renuit omnia.

CAPUT II.

De Hyosciamo*.

HABET haec planta radicem craſſam, rugoſam, multifidam, foris fuſcam, intus albam, conſtat foliis mollibus, amplis, lanuginoſis, graveolentibus, caules ſunt bicubitales, craſſi, ramoſi, denſa lanugine obſiti, flores monopetali, in quinque ſegmenta obtuſa diviſi, coloris ſublutei, intercurrentibus aliquot venis purpureis, &c. creſcit circa omnes pagos, & in viis publicis.

Attamen uſus ejus internus a plurimis auctoribus prohibetur.

Sunt quaedam in diſpenſatorio compoſitiones, quas extractum hujus herbae ingreditur.

Verum adeo parva portio pro doſi ſemper venit, ut praeſtare omnino nil poſſit.

Solum igitur extractum, quid in corpore humano ageret, experiri ſtatui.

Ex planta recenti (ſine radice) ſuccum expreſſum leni igne ad extracti conſiſtentiam inſpiſſavi.

Primum experimentum in cane mediocri inſtitui, ingerendo ei bolum granorum decem hujus extracti.

Nullam prorſus mutationem in cane obſervavi, cucurrit alacriter, & oblata bono appetitu devoravit.

Tertio die dedi eidem cani grana viginti cum offa carnis.

* Germ. *Doll Kraut.*
Anglis, *Henbane.*
Gallis, *de la Hanebane.*
Hyoſciamus offic.
Hyoſciamus foliis amplexicaulibus.
Hyoſciamus Math. omnium.
Hyoſciamus niger ſ. Apollinaris herba. Altercum Arabum. Lob.

Neque

Neque inde aliquod ſymptoma ortum eſt.

Sexto die binas drachmas hujus extracti vi ingeſſi in ejuſdem canis ventriculum.

Meticuloſus erat per aliquot minuta, dein vero bibit copioſam aquam, & carnes oblatas devoravit.

Poſt mediam horam languit, oculos tenuit apertos, & pupillam maxime dilatatam, eundo titubavit, impegit in obſtacula, & fere nihil viſit.

Compoſuit ſe ſe dein ad ſomnum.

Anxius erat in ſomno, & ſcrobiculum cordis ſaepius vi introrſum trahebatur.

Poſt binas horas coepit vomere omnia ingeſta, ſtando tremuit, eratque debilis.

Poſtquam ter vomuit, ſolvebatur quinquies alvus.

Prodierunt faeces liquidae, ſubfuſcae, magna copia, & multum foetentes.

Oculi manſerunt immobiles, & pupilla valde dilatata, & viſus videbatur fere deletus.

Canis dein iterum coepit dormire, ſpaſmi circa cordis ſcrobiculum minuebantur, & ſenſim ceſſarunt penitus.

Somnus durabat per quatuor horas, & canis jacuit admodum tranquillus, nec agitabantur membra, ut id paulo ante fieri ſolebat.

Poſt ſomnum oculi erant naturales, canis objecta optime videndo diſtinguebat, vires bonas habuit, fuit alacer, panem & carnes magno cum appetitu deglutivit.

Retinui hunc canem per plures ſeptimanas, ſanus erat ſemper, vigil, & agilis.

Videbam ex hoc; parva doſi extractum Hyoſciami non poſſe nocere, magna autem copia datum excitare turbas, & anxietates.

Sumpſi

Sumpſi igitur per octiduum quotidie matutino tempore jejuno ventriculo granum unum.

Habui me aeque bene ac alias, ſanus fui, nec in viſu quidquam mutatum adverti.

Hoc enim ſymptoma in cane mihi erat ſuſpectum.

Iis tamen diebus, quibus hoc aſſumſi, alvus erat liberior, & appetitus longe major.

Cum per octiduum hoc tentaverim ſine ulla noxa, credidi, & illud aegris exhibendum eſſe.

Verumtamen iis tantum in caſibus, ubi reliqua medicamenta non prodeſſent.

Brevi ſe ſe obtulit caſus ſequens.

Experimentum I.

FOemina, 37. annor., jam ultra ſeſqui annum diris convulſionibus fere quotidie vexabatur.

Hae autem convulſiones nequaquam totum corpus occuparunt, verum vagae erant, & jam pectus, jam venter, jam pedes, jam brachia, &c. inde afficienbantur.

Ingentes dolores paſſa eſt aegra, vires penitus proſtratae ſunt, & appetitus deletus, nec unquam dormire potuit; ſubinde vomuit copioſam bilem, aeruginoſam.

Dum convulſiones ventris inferiora occuparunt, tunc ani ſphincter adeo fortiter contrahebatur, ut nullo molimine canula pro clyſmate introduci potuerit, & tunc quoque urina fiebat ſtrangurioſa, & aderat perpetuus ac ſumme dolens alvi teneſmus.

Remedia, & a veteribus, & ab hodiernis commendata, multiſque experientiis contra convulſiones probata, in hac aegra fuerunt ſine ulla efficacia.

Solum

Solum opium, idque magna doſi, paroxyſmos mitigavit, ſopivit dolores, nervorumque motus convulſivos tandem compeſcuit; nec tamen impedivit, ne idem malum brevi iterum rediret, praeterea faeces retardavit, alvumque adeo ſtrictam reddidit, ut nec enemata quidquam potuerint educere.

Cognita igitur remedia cum in hac aegra adhibebantur incaſſum, dedi Hyoſciami extractum.

Sumpſit aegra granum unum tempore matutino, alterum hora ante prandium, & tertium veſperi.

Spatio quatuor dierum advertit appetitum redire, alvum eſſe liberiorem, neque paroxyſmos amplius tanta violentia ſaevire.

Doſin igitur auxi, & exhibui ter de die duo grana extracti Hyoſciami.

Libera dein fuit per ſeptem dies ab omni convulſione, appetiit, alvuſque prodiit ſponte copioſa, pultacea, ſomnus erat tranquillus, reficiens.

Octavo die leves tantum inſultus habuit in ventre, & pedibus; hi autem opio brevi ſupprimebantur.

Dedi dein novem hujus extracti grana per diem, alvus inde manebat aperta, & appetitus ſatis bonus.

Continuavi hac doſi per binos menſes, & cum nullum advertebatur convulſionis ſignum, tandem ab ulteriori uſu deſtiti.

EXPERIMENTUM II.

VIRGO, 24. annor., a quinque ſeptimanis in pede dextro tremorem convulſivum habuit, ideo nec quieta jacere, nec ſedere, minus ambulare poterat.

Tentatis

Tentatis jam variis remediis, demum dedi mane & veſperi granum unum extracti Hyoſciami.

Quinto die coepi ter dare quotidie granum unum.

Intra paucos dein dies minuebatur tremor, & ſpatio trium ſeptimanarum malum hoc penitus evanuit.

Alvum haec aegra ſub uſu pilularum quotidie copioſam depoſuit, antea autem tantum omni biduo aut triduo dura ſcybala magno cum molimine dimiſit.

In urina quoque obſervabatur coloris mutatio, haec enim ſemper limpida, aquoſa, inodora fuit, & uſu pilularum reddebatur colore naturalis, aut quandoque ex rubro fuſca, & tunc ſeceſſit ad fundum vaſis nubecula craſſa, glutinoſa.

Quod autem attentionem meretur, eſt: quod haec aegra ſemper, media hora poſt aſſumptam pilulam, coeperit ſentire frigus & horrorem per totum corpus, oriebantur anxietates, prodiit mador ſubfrigidus, debilitabatur viſus, aderatque ſenſus incipientis animi deliquii.

Haec autem ſymptomata ultra bina triave minuta non durarunt, & tunc aegra iterum bene ſe habuit, nec amiſit vires, & malum in pede minuebatur; ideo hujus remedii uſum continuavi, non tamen auxi doſin.

Hac ratione integre curabatur.

Experimentum III.

VIRO ſexagenario majori, qui jam a ſeſqui anno in utroque pede tendinum ſubſultus involuntarios patiebatur, & cui nullum remedium adhuc levamen attulit, dedi quoque Hyoſciami ex-

tractum augendo ſenſim doſin, donec per diem aſſumpſiſſet grana duodecim.

Mentem inde advertit magis hilarem; verum morbus manſit in eodem ſtatu, licet remedium diu fuerit continuatum.

Notandum autem eſt: malum hoc a contuſione vertebrarum lumborum eſſe ortum.

Nec unquam mihi ſpes erat hunc aegrum his pilulis curandi, ſed cum tot medicamenta exhibita nil effecerint, volui & hoc exhibere; contentus, quod viderem, id nullam ei noxam adferri.

Experimentum IV.

VIRGO, 15. annor., chronica cordis palpitatione multum affligebatur, nec corpus citra anxietatem ſummam, aut metum ſuffocationis, aut animi deliquium movere licuit.

Remedia quaecunque exhibita, licet maxime in hoc morbo celebrata, malum potius auxerunt, nec attulerunt levamen.

Dedi igitur granum unum extracti Hyoſciami mane, & unum veſperi.

Malum inde brevi mitigatum fuit, & aegra longe liberius potuit corporis motum exercere.

Dedi dein ter de die granum unum hujus medicamenti, & poſt dies octodecim malum integre ſiluit.

Ante uſum harum pilularum ſiti indelebili omni tempore matutino aegra vexabatur, ceſſavit autem ſitis, dum quievit cordis palpitatio.

Evanuit quoque nimium frequens urinae fluxus, etenim haec aegra antehac fere omni hora copioſam & limpidiſſimam urinam miſit.

Etiam increvit ciborum appetitus.

Volui

Volui aliquoties in hac aegra medicamenti doſin augere, & dare pro qualibet vice grana duo.

Verum aegra hanc quantitatem non tulit, etenim quoties bina grana aſſumpſit, toties afficiebatur dolore colico, qui autem nec admodum ſaevus fuit, nec diu duravit.

Experimentum V.

VIR, triginta aliquot annorum, ex animi pathemate incidit in melancholiam, haec ſenſim increvit, atque tandem in veram maniam tranſiit.

Delebatur appetitus, noctes erant inſomnes, aderat fere continuum meticuloſum delirium, vires minuebantur, & aeger frequentes horrores rigoreſque in ſpina dorſi ſenſit, quos conquerebatur, dum lucidum intervallum habuit.

Vena ipſi ſecta eſt aliquoties, quum ſanguine abundavit, data ſunt purgantia, aliaque remedia, nil tamen in melius mutatum fuit.

Imo malum fiebat pertinacius.

Paregorica & opiata, magna quamvis doſi exhibita, nullum adferebant ſomnum, noctes inde magis inquietae reddebantur, mens fiebat anxia, oriebaturque febris.

Concluſi ideo tentare Hyoſciami extractum.

Exhibui ſtatim ter de die granum unum hujus extracti.

Nox prima jam magis tranquilla fuit, & altero die viguit appetitus.

Tertio die aeger jam ſex grana aſſumpſit.

Ceſſaverunt tunc horrores rigoreſque, qui per ſpinam dorſi verſus caput aſcenderunt, & aegri metum auxerunt.

Delirium quoque jam tunc mitius fuit, & alvus,

antea ſegnis, & duriſſima, prodiit libere, pultacea, copioſa binis terniſve vicibus quotidie.

Sexto die dedi novem grana.

Spatio decem dierum jam fere reſtitutus videbatur hic aeger.

Me inſcio tunc pilularum uſum interrupit, & mox morbus iterum pejor erat.

Senſit tunc ipſe & fatebatur, quod levamen ingens ex hocce medicamento haberet, atque ideo ſtatim id iterum coepit aſſumere.

Ultra tres ſeptimanas continuavit ſumendo quotidie quindecim hujus extracti grana.

Bene tunc ſe habuit, potuit iterum ſuo officio fungi.

EXPERIMENTUM VI.

HOMO, 33. annorum, per plures ſeptimanas ſputum ejecit ſtriis ſanguineis mixtum, vexabaturque tuſſi multa titillatoria, & nocte erat anxius.

Multum laboris in curando hoc morbo impendi, & videbatur ſubinde uno die malum minui, altero autem die prior iterum ſcena ludebatur.

Dedi tunc granum unum mane extracti Hyoſciami, & unum veſperi.

Nox fuit longe tranquillior, & aeger ſibi opium datum eſſe, putavit.

Secundo die jam ſputum ſtriatum minuebatur, & nox iterum tranquilla fuit.

Tertio die dedi ter granum unum hujus extracti.

Diſparuit tunc omnis ſanguis in ſputo, prodiit mox materies ſubflava, bene cocta, & pectus erat multo liberius.

Auxi

Auxi dein doſin & ſexto die exhibui novem grana, mane nimirum tria, tria verſus meridiem, & reliqua veſperi.

Hac doſi per quatuor ſeptimanas continuatum fuit.

Prodibant tunc ſputa bene cocta, pectus fiebat liberum, appetitus magnus, alvus quotidie ter quaterve ſolvebatur glutinoſa, aegri vires bonae erant.

Et quoniam dein omnis fere tuſſis aberat, aegerque bene ſe habuit, ab uſu pilularum ceſſatum eſt.

Experimentum VII.

NOBILIS matrona, 47. annorum, incidit ex ira vehementi in haimoptoen.

Venae ſectionibus & remediis variis tunc ſecundum indicationem adhibitis, ſanguinis prodeuntis quidem copia minuebatur, ſputum tamen manebat ſemper multo ſanguine tinctum.

Adſtringentia, opiata, involventia, &c. retinuerunt ſputum, cohibuerunt tuſſim, & pectoris anxietates excitarunt, & febrim, & delirium.

Nec malum levabant: etenim paulo poſt iterum major ſanguinis copia tuſſi violentiſſima protrudebatur.

Tentavi Hyoſciami extractum, & ter de die dedi granum unum.

Eodem die obſervabam, ſputum minus ſanguinis ſecum habere, & aegra pectus levari ſentiebat.

Noctu tamen tuſſis irrita & defatigans opio debuit mitigari.

Altero die eadem pilularum doſi continuatum fuit. Sputum tum prodiit glutinoſum, ſubflavum, & paucae tantum ſtriae, aut puncta ſanguinea in eo conſpiciebantur.

Ter-

Tertio die dabantur ter bina extracti grana.

Appetitus inde excitabatur, alvus antea ſegnis & difficilis jam ſine ullo molimine ſoluta eſt, ſeceſſitque per inferiora multum gluten.

Nil amplius ſanguinis in ſputo, quod copioſum, & bene coctum erat, reperiebatur, & augebantur aegrotantis vires.

Septimo die jam novem grana per diem dedi, ſputum ejiciebatur libere, nec aegra amplius ſenſit eos ſpaſmos, qui ante pilularum uſum toties pectus fauceſque ita conſtrixerunt, ut ſuffucatio eſſet timenda.

Undecimo & duodecimo die advertit aegra ſemper quadrante horae poſt aſſumptas pilulas oriri levem dolorem colicum, & tum ſolvebatur alvus, prodiitque multum gluten, & materies ſimillima ei, quae ſputis rejiciebatur.

Aegra inde ſe affici & debilitari conqueſta eſt, unde ſuaſi, ut ab uſu harum pilularum per aliquot dies ceſſaret.

Obſervavi autem tunc, appetitum diminui, & poſt paucos dies pectus erat anxium, nec debito tempore prodiit alvus.

Rogavit igitur, ei iterum pilulas exhiberem.

Sumit nunc per tres ſeptimanas quotidie tria grana, & appetit, bene dormit, excretiones rite procedunt, & reſtaurantur vires.

EXPERIMENTUM VIII.

HOMO, 30. annor., ex ira & ſubito terrore adeo melancholicus & meticuloſus fiebat, ut ſeſe abſconderit in omni angulo, ut vel muſcas volentes timuerit, fugerit.

Erat

Erat ſimul inſtar muti, nec enim bonis promiſſis, nec ſeveris verberum minis, ex eo verbulum elici potuit.

Delebatur appetitus, aberat omnis ſomnus, vires minuebantur, homo demens, ad nil prorſus aptus, bruto minus rationis habere videbatur.

Venae ſectiones, & tentata plurima remedia, malum potius auxerunt.

Nec juvabant animi diverſiones, quas olim plurimum amabat, verberum minae tantam induxerunt puſilanimitatem, ut convulſiones, aut aliud malum fuiſſet timendum.

Dato autem extracto Hyoſciami ſtatim ſecunda nocte coepit tranquille dormire, oculi & facies longe ſereniores erant.

Intra octiduum metus multum minuebatur, etenim nec amplius cubilis angulos quaeſivit, ut ſe abſconderet, nec fugit hominum conſortium, nondum tamen verbulum loquebatur.

Tertia ſeptimana jam coepit iterum ſuos labores, qui magnam adtentionem requirebant, apte peragere.

Circa finem menſis ad rogata reſpondit, ſolus tamen nemini adhuc loquebatur.

Secundo menſe coepit jocari, loqui, & jam nunc videtur integre reſtitutus.

In principio ter quotidie dabatur granum unum extracti Hyoſciami, quarto die dabantur ſex grana, ſic omni tertio vel quarto die augebatur doſis, donec aſſumpſiſſet quotidie grana viginti.

Sequentes caſus doctiſſimus Dominus *Colin* in noſtro noſocomio obſervavit, ſcriptaſque dedit morbi hiſtorias.

Ex-

EXPERIMENTUM IX.

ANNA Maria Kaltenekerin 30. annor. acerbis verbis & minis die ſecunda Septembris furti accuſabatur.

Unde ita turbata fuit, ut in continuo delirio, circa res terrificas verſante, jacuerit.

Nec ex hoc delirio rediit, licet innocens fuerit declarata, & falſus accuſator petierit delicti veniam.

Undecima Septembris ad nos delata, ne momentum quietis habebat clamans continuo: ſe videre daemonem, neganſque ſe furatam eſſe, ac inter ſagas pertinere: dein toto corpore tremebat, & fugam moliebatur tanta vi, ut plures cuſtodes ipſam in lecto retinere non potuerint: hinc loris illam lecto coërcere coacti fuimus.

Interim pulſus & reſpiratio mutabantur ſecundum varia phantaſmata, quae menti apparebant: lingua erat humidiſſima, oculi erant torvi, iracundi, alvum inſcia deponebat in lectum.

Fecimus omnia quae artis erant ad 18. Septembris uſque, ut miſerae levamen afferremus, verum operam luſimus, & aegra immutata permanſit: & datis una doſi binis granis opii puri vix brevem ſomnum illi procurare poteramus, a quo evigilans, pejus ſe jactabat.

Dedi tunc hyoſciami extractum.

Per tres primas dies binas pilulas ſumpſit, unde aegra pacatior fieri videbatur, dein ſumpſit tres pilulas de die, nempe unam mane, aliam circa meridiem, & tertiam veſpere.

His ſenſim redivit quies menti.

Sub finem Octobris perfecta ſanitate fruens noſocomio valedixit.

Viderat

Viderat illam illuſtriſſimus Praeſes undecima Octobris, & alii celeberrimi viri.

Experimentum X.

THereſia Liedmayerin, 18. ann. nata, decima ſexta Julii ad nos venit, plures jam Epilepſiae paroxyſmos paſſa.

Quoniam menſes ſuos adhuc nunquam habuit, omnem operam impendi ad eos ciendos, qui pro prima vice initio Auguſti ſat bene fluxerunt, poſtquam in noſocomio jam octies paroxyſmum epilepticum habuiſſet.

Sperabam tunc, fore, ut fluentibus catameniis aegra ab Epilepſia liberaretur; verum paucis diebus elapſis reverſus eſt dirus morbus, aegram fere omni die impetens, nullis medicamentis leniendus.

Initio menſis Septembris catamenia iterum habuit per tres dies ſat copioſa, quorum tempore pluries de die convellebatur.

Sub finem demum Septembris, ita vehementer ad omnem partem corpus in paroxyſmo diſtorquebatur, ut adſtantes continuo crederent, mox artus, mox ſpinam dorſi, ob convulſionum vehementiam frangi debere.

Hinc experiri licuit, quid pilulae de extracto Hyoſciami, quae priori aegrae adeo ſalutares erant, in hoc graviſſimo caſu praeſtare poſſent.

Primis diebus tres pilulas aſſumpſit, verum malum inde parum levabatur, paroxyſmi erant aeque vehementes, nullum tamen a medicamento malum oriri videbam.

Hinc ter de die binas pilulas dedi, (quaelibet pilula habebat pondere granum unum) quibus ef-

fectum eſt ut 20. Octobris nihil de morbo apparuerit.

Continuavit aegra pilulis uti ad finem Novembris uſque, tum optime valens recuſavit diutius in noſocomio commorari.

Ab eo tempore pluries ipſam vidi, & 24. Martii adhuc apud me fuit in noſocomio ſaniſſima, gratias adhuc agens pro recuperata ſanitate.

Sub uſu pilularum aliquoties ob alvum tardiorem purgans dare debui.

EXPERIMENTUM XI.

ELeonora Gallapin, 22. annorum, 18. Auguſti ad nos venit catameniis jam in quartum menſem carens, & magno capitis dolore, & vertigine a binis hebdomadibus affecta.

Aegra aſpectu ſaniſſima videbatur, appetebat, alvus omni die ſponte dimittebatur, ſitis non erat praeternaturalis, pulſus tamen plenus tangebatur, & omni mane celerior, atque aegra ob vertiginem extra lectum eſſe non poterat.

Venae ſectionem & alia medicamenta adhibui, quibus menſes adhuc ſub finem Auguſti prodierunt, cum aliquo capitis levamine.

Sperabam ideo aegram brevi ſanitati reſtituendam, verum tertia Septembris circa decimam matutinam incepit pauliſper extremis frigere; Incaluit demum primo caput, dein calor deſcendit ad artuum extremitates uſque, tunc incepit cantare, & dum accederet aſſiſtens meus, valde clamavit, & ſtrophiolo oculos texit, cuſtodem, autem, & alias foeminas minime timebat.

Hoc duravit circiter per bihorium; dein dormivit per tres horas, valde calens, cum parva & celeri

celeri reſpiratione, ac tempore ſomni multum ſudavit.

Evigilans ignorabat omnia, quae ante ſomnum fecerat.

Sequenti die dum mane aderam, monuit me ipſa, ſibi nunc eſſe, ut praecedenti die, dum paroxyſmus inceperat: hinc ſollicite omnia examinavi: nulla parte corporis, ne quidem capite dolebat, reſpiratio erat bona, pulſus rythmo inaequalis, paulo contractior, oculi erant humidi, facies roſeo colore tincta, lingua humida, abdomen vero tenſum erat ſine minimo dolore.

Poſt dimidiam horam jam calebat toto corpore, ac jam viri aſpectum metuebat, laeta tamen videbatur, ridebat ſaepe, ac brevi varias amatorias cantilenas cantavit; demum de diverſis rebus ſine connexione locuta incepit dormire. Pulſus erat tunc liber, plenus, celer, aliquando inaequalis, reſpiratio difficilis, abdomen tunc minime tenſum erat, poſt horam evigilans pulſum habebat naturalem, nec ſciebat, quid ante ſomnum egiſſet.

Dedi ipſi ſolventiſſimum graminis decoctum, quo per 6. dies uſa eſt, quo tempore omni die quandoque ſemel, aliquando bis paroxyſmum habuit.

Caput his paroxyſmis multum debilitabatur, & ſaepius vertiginoſum erat: hinc corticem peruvianum ipſi dedi, cujus unc. ijß intra quatriduum abſumptae in ſubſtantia, ne minimam mutationem effecere.

Cum viderem, corticem peruvianum nihil efficere, decoctum foliorum aurantiorum praeſcripſi, quo per octiduum etiam uſa eſt, verum inde nihil mutata fuit.

Dedi dein ſolita antihyſterica cum laudano copioſa, & emplaſtrum aromaticum laudano & oleo menthae mixtum abdomini applicui, unde paroxyſmi minus frequentes facti ſunt.

Verum dum ingruebant, diutius durarunt, & aegra finito paroxyſmo multo debilior erat, quam poſt praecedentes, qui frequentiores accidebant.

Continuavi tamen hac methodo ad ſecundam Novembris uſque, ſperans, morbum demum ceſſurum medicamentis, verum vana ſpes fuit, malum enim vel omni die vel ſaltem alterno die redibat.

Hinc dedi ipſi pilulas de Hyoſciami extracto, ut ter de die unam ſumeret.

Eo die non habuit paroxyſmum, & qui die ſequenti accidit lenis erat, & libera fuit uſque ad diem octavam Novembris, qua die leniſſimus fuit & brevis paroxyſmus.

Perrexit aegra eandem doſin ſumere per quinque hebdomadas, nec amplius redivit morbi inſultus; retinui eam tamen in noſocomio adhuc per longum tempus, donec rogaret, ut liceret ipſi diſcedere, quod facile conceſſi cum ſana & robuſta fuit.

Dedi illi adhuc doſin pilularum, ut ſubinde ſumeret.

Tertia Martii noſocomium acceſſit optime valens, & ajebat, ſe ne minimum incommodum ab eo tempore percepiſſe, quo ex noſocomio diſceſſerat.

EXPERIMENTUM XII.

REgina Ehrhardtin, 20. annorum, 27. Aprilis ad noſocomium delata eſt, dum acceſſi jam a media hora abdomen continuo valida convulſione agitabatur; videbatur quoque idem in diaphragmate contingere: ſubito enim pectus valide

lide dilatabatur, coſtae aſcendebant, & citiſſime iterum collabebantur, accedebat per intervalla vehementiſſimus ſingultus, riſus ſardonius, aegra voce privabatur, ac ablatum potum difficile admodum deglutiebat, pulſus erat plenus, fortis, celer.

Venae ſectionem illico inſtituendam concluſi; ſanguis prodiit conſiſtentia & colore bonus, reſpiratio paulo eſt facta levior.

Pro medicamento dedi emulſum refrigerans cum ſyrupo diacod., enema emolliens ipſi injectum eſt, quod per horam retentum reddidit cum faecibus coctis; regioni ventriculi ſcutum ſtomachicum ex Empl. diabot. q. ſ. & Laud. pur. & Camph. aa. gr. xv. applicatum eſt.

Sub veſperas ſenſim remiſerunt omnia ſymptomata, & a media nocte ad quintam matutinam ſat bene dormivit aegra.

Mane admodum debilis erat, & ajebat ſibi videri totum pectus anterius, & epigaſtrium quaſi a verberibus contuſum eſſe. Pulſus erat utcunque inaequalis.

Narravit, ſe jam a quatriduo nulla cognita cauſa per vices difficile ſpirare, angi, nunquam autem talem inſultum paſſam eſſe, qualem die praecedenti videramus; loco emulſi decoctum emolliens tunc aſſumpſit, ac enema iterum injectum eſt: diem ac noctem ſequentem ſat bene tranſegit.

Trigeſima autem Aprilis, dum mane accederem, inveni illam in aeque malo ſtatu ac die vigeſima ſeptima; febris tamen moderatior videbatur, & facilius deglutiebat: commendavi, ut ipſi ſaepius juſculum calidum propinaretur: ſcutum ſtomachicum

machicum manſit applicatum ventriculo, & aegra decocto emolliente continuavit uti.

Praeterea proſcribebatur mixtura cum uncia una corticis peruviani, &c. ut eam, finito paroxyſmo, intra viginti quatuor horas abſumeret.

Nox fuit inquieta, & prima Maji mane de magna anxietate conquerebatur, ac dicebat ſibi praecordia dilacerari.

Juſſi enema injici, ac praeter mixturam cum cortice peruv. ſumpſit decoctum radicis ſalab.

Sequenti nocte paululum dormivit, & circa quartam matutinam paroxyſmo iterum correpta eſt, ſed validiori, quam fuerat praecedens.

Circa meridiem ceſſavit malum; verum aegra valde debilis erat, & novam doſim corticis in extracto incepit ſumere.

Noctu iterum fortiorem morbi inſultum paſſa, & hinc cum a cortice exacerbari omnia viderem, dedi tertia Maji binas pilulas de extracto Hyoſciami ter de die ſumendas, & juſſi, ut ipſi ſaepius juſculum calidum exhiberetur.

Nox fuit pacatior, & ſequenti die paroxyſmo leniori correpta fuit: eandem pilularum doſin perrexit ſumere.

Alvum ſponte habuit, & noctu optime dormivit.

Quaevis pilula habuit pondere granum unum.

Quinta Maji ſub veſperas inſultum mali binarum horarum ſpatio paſſa eſt; verum poterat loqui, & facile juſcula deglutiebat, motus quoque convulſivus minor erat.

Redivit irregularis & levis tantum paroxyſmus modo omni die, modo omni alterno die, uſque ad deci-

decimum quintum Maji; ab eo autem tempore nil amplius mali obſervatum eſt.

Perrexit adhuc pilulas ſumere uſque ad finem menſis Maji.

Quarto Junii vidit illam Illuſtriſſimus Praeſes optima ſanitate gaudentem.

Toto morbi tempore urina ſemper bene colorata cum enaioremate fundum petente conſpiciebatur.

Experimentum XIII.

JUliana Gruberin, 27. annorum, venit 14. Junii ad noſocomium.

Dicebat, ſe jam a quatuor hebdomadis contractione ventriculi, anxia reſpiratione laborare, ac ſe a 15. diebus difficillime deglutire.

Dum prima vice illam vidi, foemina tota emaciata erat, ac ita defatigabatur, dum aliqua cochlearia juſculi cum pane aſſumeret, ut vix binas uncias magna labore potuerit deglutire.

Inſpectae fauces nihil morboſi pro ſe ferebant, pulſus praeter inaequalitatem nihil praeternaturalis habebat, abdomen & hypocondria erant mollia, alvus omni die vel omni biduo prodibat naturalis, urina erat aquoſa; ſitis nulla aderat, inquieta diu noctuque jacebat aegra, parum dormiens.

Antequam ad noſocomium deferretur varia a diverſis hominibus medicamenta aſſumpſerat ſine levamine.

Hinc ſtatim de extracto Hyoſciami cogitavi, probavi tamen antea per tres dies, quid efficerent uſitata remedia nervina, antihyſterica, ac ſimul totum collum cataplaſmate emolliente involvebam.

Verum

Verum inde nec minimum levata eſt aegra.

Die decimo octavo Junii datae ſunt ipſi duae pilulae de extracto Hyoſciami ter de die.

Die 19. Junii jam levamen percipiebat, & die vigeſimo ſecundo deglutitio libera erat.

Subinde tamen recurrebat levis deglutiendi difficultas, ac ventriculus ſpaſmo conſtringebatur.

A die vigeſima tertia Junii purgabatur quotidie ter quaterve uſque ad ſecundam Julii, & optima tunc fruebatur ſanitate.

Per plures adhuc dies in noſocomio retenta nil conquerebatur, hinc perfecte ſana dimittebatur.

Sunt adhuc multi variis nervorum morbis laborantes, quibus has pilulas cum effectu exhibeo; verum cum abſoluta nondum ſit curatio, alia occaſione eorum hiſtorias referam.

CAPUT III.

DE ACONITO.

ACONITUM, alias dicitur *Napellus* *, flore caeruleo, cucullato, &c. eſt aconitum *Linaei* foliorum laciniis linearibus, ſuperne latioribus, linea exaratis, ſpec. plant. pag. 532.

Planta haec inter ſumma venena hucuſque recenſebatur.

* Gem. *Eiſen Hütlein.*
Italis, *Napello.*
Gallis, *Cappe de Moine.*
Anglis, *Blue Wolfsbane.*
Suecis, *Stormhatt.*
Aconitum Napellus Offic.
Aconitum foliorum laſciniis linearibus, ſuperne latioribus, linea exaratis.
Napellus MATH. CAMM. DOD. vulgaris CLUSII.

Atta-

Attamen celeb. *Linaeus* vidit in parte Sueciae ſeptentrionali folia hujus herbae, pauca pinguedine cocta, impune comedi a muliere, marito, duobus liberis & alia vetula. *Flora lapon.* pag. 179.

In hortis plerumque culta fuit, ut ornamento eſſet.

De experiundis hujus plantae viribus jam per plures annos cogitavi; deerat autem occaſio, & neceſſarii labores me in aliis nimium detinuerunt.

His autem nunc aliquantulum in ordinem redactis, momenta quaedam reperui, in quibus me huic operi dare poteram.

Experimenta, ut rite fierent, & ſine praejudicio, delevi omnem in me ideam, quam habui ex auctoribus materiae medicae, id tantum retinui: plantam eſſe ſuſpectam.

Sola igitur natura monſtrante viam, & ratione ſimplici duce, ſequentia tentavi:

Herbae folia & caulem redegi in pulverem.

Pulveris hujus paucam quantitatem linguae impoſui, ardor inde excitabatur linguae diu inhaerens, & momentanei, vagi, lancinanteſque dolores linguam ſaepius pervadebant, nil autem inde mali ſecutum eſt, pulvis ſupra lingua per bina minuta relictus, nec attulit inflammationem, nec induxit rubedinem.

Quamdiu in lingua ardor manſit, tamdiu copioſa affluebat ſaliva, caeteroquin nil prorſus incommodi advertebatur.

Inſperſi dein hunc pulverem ulceri cancroſo, fungoſo, viſurus: an vim cauſticam conſumentem haberet.

Primo die levis oriebatur ſuppuratio, & aeger nullum dolorem, nec ardorem conqueſtus eſt.

F Secundo,

Secundo, tertio, quarto, & quinto die idem obſervatum fuit, neque fungoſum inde conſumebatur.

Licuit igitur hinc concludere, vim cauſtam & deleteriam hujus plantae non adeo violentam eſſe.

Atque ideo ſuccum expreſſi, lentoque igne, (methodo conſueta) extractum paravi.

Hoc linguae impoſitum leviſſimam tantum titillationem excitabat.

Quum autem putarem, linguam fors jam hiſce ob multiplicem experientiam aſſuetam eſſe, nec debito modo affici, tunc granum unum hujus extracti poſui intra palpebram inferiorem oculi dextri.

Nec inde afficiebar aliter ac a quocunque corpore heterogeneo.

Poſtquam illud per bina minuta reliquiſſem, copioſae quidem lacrymae profluxerunt, nullus autem peculiaris ardor advertebatur.

Aqua pura illud dein elui, & nec unquam quid moleſti obſervavi.

Factis his experimentis, tentavi, quid hoc extractum faceret corpori ingeſtum, deglutitum.

In hunc finem conficiebatur ſequens pulvis.

℞. Extract. Aconit. gr. ij.
Sacch. alb. dr. ij.

Miſce & contere diu in mortario marmoreo, ut fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Sumpſi ex pulvere mane jejuno ventriculo grana ſex; ſedulo intentus, quidnam in corpore fieret.

Verum nullam mutationem, nil inſoliti obſervavi.

Secundo die ſumpſi grana octo, & nec inde afficiebar.

Idem expertus ſum tertio die, dum grana decem deglutivi.

Ex his audacior factus, quarto mane ſumpſi grana viginti hujus pulveris.

Nulla

Nulla inde actio corporis turbabatur, id tantum adverti: extrema totumque meum corpus praeter conſuetudinem toto die multum tranſpirare, madere.

Quinto die eandem iterum doſin ſumpſi, & idem obſervavi, quod die quarto.

Sexto die idem.

Idem & ſeptimo.

Octavo die abſtinui a pulvere, & tunc mador ille, prioribus diebus obſervatus, non aderat.

Nono die ſumpſi iterum grana viginti hujus pulveris, & eodem die fui in continuo madore.

Idem mihi contigit die undecimo, duodecimo, & decimo tertio.

Die decimo quarto nil aſſumpſi, & contigit prorſus idem, quod obſervavi die octavo, & nono.

Licuit igitur ex his concludere:

1*mo*. Pulverem hunc promovere tranſpirationem, ſudorem.

2*do*. Cum nil in me turbarit: eum tuto poſſe exhiberi aegris, incipiendo ab exigua doſi.

3*tio*. Convenire in iis morbis, ubi materies peccans per vias ſudoriferas poteſt expelli.

Eodem tempore dum haec meditabar, inter meos aegros habui ſequentem caſum.

Experimentum I.

Homo, triginta aliquot annorum, menſe Octobri 1761. febre tertiana laboravit.

Curatus inde ſat bene ſe habuit.

Menſe autem Novembri eum ingens dolor corripuit, qui toti lateri dextro tanta vi inſedit, ut aeger nec manum, nec pedem movere potuerit; appetitus delebatur, & noctes factae ſunt inſomnes.

In quartum menſem remedia omnis generis leniora ac fortiſſima, tam externa quam interna, applicata ſunt; aſt effectus inde bonus nequaquam ſequebatur, morbi ſtatus reddebatur pejor, & aeger debebat lecto continuo inhaerere.

Dolores per vices erant adeo vehementes, ut aegro copioſiſſimas lacrymas extorſerint, fecerintque eum ejulare, inſtar illorum, qui crudeli tortura exercentur.

Praeterea conquerebatur maximum dolorem in ipſis oſſibus, ac partibus tendinoſis.

Cum igitur exhibita remedia nequaquam juvabant, pulverem ſuperius deſcriptum ex ſaccharo albo & Aconiti extracto exhibui.

Doſis erat granorum decem mane & totidem veſperi, ſuperbibendo vel juſculum vel infuſum qualecunque.

Prima nocte ſudavit aeger copioſe, quod ei antea non contigit.

Altero die exhibui eandem doſin, & dolores fiebant multo mitiores, noctu aeger iterum ſudavit.

Sudor multum foetuit, nec aeger hoc ſudore debilitatus eſt.

Tertio die jam ter dedi decem hujus pulveris grana.

Noctu iterum obſervabatur ſudor.

Eadem doſi continuabatur tunc uſque ad diem duodecimum.

Omni noctu corpus ſudore maduit, uti etiam de die, dum aeger in lecto fuit.

Et ſexto die, aeger jam ab omni dolore liber fuit, & potuit extra lectum ambulare; appetiit, tranquille dormivit, alvum habuit quotidie naturalem,

ralem, urina ſolito copioſius fluxit, & multa geſſit flocculamenta, & fila mucoſa.

Decimo tertio die, cum aeger admodum bene ſe haberet, abſtinuit per triduum ab hoc pulvere; advertit autem quod tunc membra languerent, dolorque iterum ſe aliquantulum inſinuaret.

Suaſi itaque, ut ſine interruptione adhuc per tres ſeptimanas, quotidie triginta hujus pulveris grana aſſumeret.

Exacte ſequebatur tunc meum conſilium, & malum ita fuit emendatum, ut actiones omnes fuerint reſtauratae, diſparueritque macies, quae aderat per univerſum corpus.

Ultimis binis ſeptimanis, quibus hunc pulverem aeger ſumpſit, nullus obſervabatur ſudor.

Nec rediit dolor, dum ceſſavit uti hoc pulvere; jam nunc quatuor menſes ſunt.

Experimentum II.

HOMO, 27. annor., vehementiſſimo dolore iſchiatico a ſex ſeptimanis vexabatur, dolor tandem vehementiſſimus brachium dextrum invaſit tanta violentia, ut aeger diu noctuque ejularit.

Externa internaque remedia, licet ſubinde levamen adtulerint, malum tamen idem manſit; quum dolores poſt exiguum & momentaneum intervallum mox iterum majores facti ſunt, & longe deterius aegrum excruciaverunt.

Huic exhibui mane & veſperi grana viginti pulveris ſuperius notati.

Prima ſtatim nocte miraculi inſtar dormivit, nec ullum dolorem ſenſit.

Nec altero die rediit dolor, verum corpus totum, praeſertim circa pudenda pruritu ingratiſſimo afficiebatur,

ficiebatur, & eruperunt ubique puſtulae rubicundae, acri humore plenae.

Aeger inde bene habuit, appetiit, vires augebantur, continuo lenis mador obſervabatur per totum corpus, non autem aderat noctu adeo copioſus ſudor, ut in aegro praecedenti.

Poſtquam per octiduum eadem doſi datus fuit pulvis, aeger aſſumpſit purgans ex unciis quinque aquae laxativae diſpenſ. Vien. & drachma una ſal. polychr.

Alvus inde mota eſt ſepties, & diſparuerunt puſtulae, minutuſque eſt pruritus, & increverunt vires.

Uſus dein eſt adhuc per quatuor ſeptimanas eodem pulvere, nil inſoliti inde advertit.

Sub finem ſumpſit adhuc purgans paulo ſuperius deſcriptum, & erat tunc optime ſanatus.

Quinque nunc ſunt menſes, nec ullam paſſus eſt recidivam, licet ſumma ſit aëris inclementia.

An hic pulvis ſolvit acrimoniam in minimis vaſciculis circa tendines & oſſa haerentem, ea obſtruentem, producentemque dolores articulorum atrociſſimos? An eandem ſolutam ad corporis peripheriam propellit? Bini hi caſus videntur id docere.

EXPERIMENTUM III.

JUvenis, novendecim annor., in tertium annum febre quartana laboravit.

Febris haec adeo erat pertinax, ut nulli medicamento obedierit.

Cortex peruvianus magna doſi & diu datus mitigavit quidem paroxyſmorum vehementiam, eos vero penitus compeſcere non potuit.

Et

Et quamprimum aeger a corticis uſu ceſſavit, denuo increverunt febris exacerbationes.

Corpus fiebat macilentum & cachecticum, durante febre membra omnia, & omnes articulos, & ſpinam dorſi dolor vehemens, dilacerans, & circa extrema urens occupavit.

Dedi huic aegro pulveris de extracto Aconiti mane grana decem, & totidem veſperi.

Primo die ter inde purgabatur, & die ſecundo quater.

Febris paroxyſmus tertio die fuit longe mitior, vix ulli advertebantur dolores, ſub fine tamen aeger copioſiſſimo ſudore maduit.

Vires inde diminutae non ſunt.

Tertio, quarto, & quinto die alvus adhuc aliquoties movebatur citra virium proſtrationem, imo aeger ſe inde levari ajebat.

Sexto die leviſſima tantum horripilatio, vagus & brevis calor obſervabantur, & his mox ſupervenit copioſiſſimus ſudor.

Septimo die alvi fluxus deſiit, & prodierunt faeces compactae.

Idem contigit nono die, rediit & tunc appetitus, noctes fiebant tranquillae, & ſomnus vires reſtauravit.

Nono die levis tantum ſudor, volanſque per membra calor aegrum pervadebant; caeteroquin bene ſe habuit.

Poſt nonum diem nulla prorſus manifeſta evacuatio, aut per urinam, aut alvum aut ſudorem contigit.

Dabatur adhuc pulvis in eadem doſi per tres ſeptimanas, & hoc tempore aeger perfecte ſanabatur.

Jam

Jam bini menſes elapſi ſunt, & non rediit febris.

Fecit igitur *Aconitum*, quod nec cortex peruvianus, nec aliud remedium potuit efficere.

Experimentum IV.

Virgo, viginti aliquot annorum, jam in quintum annum habet tumorem tactu vere oſſeum, qui vix non totam ſiniſtram faciem occupat.

Immobilis eſt, & jurares, eum ex ipſis oſſibus excreviſſe.

Sub maxilla inferiore multae glandulae quoque tumebant, & erant ſcirrhoſae.

Motus maxillae erat exiguus, valde difficilis, dolens.

Remedia ſumme ſolventia, mercurialia, interne externeque applicata, non tantum malum non mitigarunt, verum excitarunt ſimul tantos dolores, ut aegra dormire non potuerit.

Cicuta, per plures menſes & magna doſi exhibita, malum nec auxit nec diminuit.

Nunc haec aegra in tertium menſem utitur pulvere ex Aconiti extracto, & ſaccharo, & tumor non ſolum mollior eſt, & hinc inde mobilis, verum jam longe plus quam dimidia pars ejus magnitudinis diſparuit, maxilla eſt multo mobilior.

Noctu ſubinde haec aegra copioſe ſudat, & tunc ſe levari ſentit; caeteroquin nulla ſenſibilis evacuatio obſervatur.

Appetitus bonus eſt, vires integrae, & ſomnus tranquillus.

Jam datur quotidie drachma una & dimidia hujus pulveris; prorſus nil mali obſervatur, & tumoris moles ſemper minuitur.

Alvus

Alvus ſegnis eſt, & ideo omni tertia ſeptimana exhibetur purgans ex granis viginti Salis polychreſti, & granis quadraginta pulveris radicis galapae.

Experimentum V.

Foemina, quadraginta aliquot annorum, ob tumorem duriſſimum, magnitudinis ovi anſerini, haerentem infra parotidem dextram, per plures menſes utebatur Cicuta; cum autem inde levamen non ſenſerit, abſtinuit.

Hac hyeme corripiebatur vehementiſſimis doloribus rheumaticis, qui adeo erant pertinaces, ut aegra nec dormire nec ſubinde prae dolore cibos deglutire potuerit; nec juverunt medicamenta adhibita.

Petiit igitur denuo meum conſilium.

Et exhibui ſtatim pulverem de extracto Aconiti; doſis erat granorum decem mane & totidem veſperi.

Primo die octies inde purgabatur, & dolores mox minuebantur, quarto & quinto die jam omnia membra citra dolorem potuit movere; & aegra bene ſe habuit.

Monui dein, vellet hunc pulverem adhuc aſſumere per plures ſeptimanas, ne dolores in membris redirent.

Sequebatur conſilium, & tertia ſeptimana advertit, tumorem praeter ſpem eſſe minorem, mobiliorem, molliorem.

Sumit nunc quotidie hujus pulveris grana triginta, nulla oritur manifeſta evacuatio, omnes dolores abſunt, corpus reficitur, ſenſimque minuitur tumor.

EXPERIMENTUM VI.

IDem experior in virgine, viginti aliquot annorum, quae ob colli tumores ſcirrhoſos per tres menſes ſine multo effectu aſſumpſit cicutam; minuuntur uſu hujus pulveris tumores, fiuntque mobiles.

Nunc ſecundus menſis ad finem vergit, & paucae tantum reliquiae ſuperſunt.

Per quinque ſeptimanas jam quotidie datur drachma integra hujus pulveris, aegra bene appetit, quiete dormit, eſt robuſta.

Hinc patet, hunc pulverem nullam adferre noxam, & prodeſſe plurimum.

EXPERIMENTUM VII.

VIrgini, viginti duorum annorum, exhibui hunc pulverem ob tumorem ingentem in regione iliaca dextra.

Volui antehac tentare cicutam, verum hujus aegrae ideo ſyncraſia eam non tulit; angebatur inde & vomuit.

Sumpſit ex hoc pulvere mane & veſperi grana decem.

Alvus inde quotidie bis, terve movebatur.

Haec aegram jam per medium annum nauſeam habuit a carne, & quamprimum carnis tantum odorem percepit, vomituriebat.

Sumpto per triduum hoc pulvere, coepit appetere carnes, eaſque comeſtas optime digeſſit.

Tertia ſeptimana ex uſu hujus pulveris tumoris moles erat multo minor, & copioſa, glutinoſa, & flaveſcens materies ex uteri vagina profluxit.

Finito

Finito ſecundo menſe tumor fere totus jam diſparuit. Appetitus viget, augentur vires, verum copioſa materies, flava, craſſa continuo ſtillat ex utero.

Experimentum VIII.

Virgo, triginta aliquot annorum, a pluribus annis in utraque mamma percepit tubercula diverſae magnitudinis, mobilia, & haec ſubinde vehementiſſimo dolore afficiebantur; qui tamen dolor abſque ullo remedio iterum ſponte diſparuit.

Neglexit hoc malum aegra aliunde miſeriis aſſueta.

Tandem tuberculorum moles aucta fuit, eaque in unum corpus durum pugno virili majus concreverunt in utraque mamma, tantuſque ac continuus acceſſit dolor, ut aegra debuerit lecto decumbere.

In utraque mamma hinc inde rupta eſt cutis, quae erat tota livida, prodiitque tunc materies acris, urens, vicina rodens.

Data Cicuta non tantum malo poſuit limites, ſed & ſanavit ulcera, molemque magnam diſſolvit in minora tubercula, & horum plus quam dimidiam partem fecit diſparere, ſopivitque dolores.

Haec adeo celeris & felix morbi mutatio contingebat ſpatio quatuor ſeptimanarum.

Dein vero effectus non amplius adeo manifeſtus & velox fuit.

Imo hujus medicamenti uſus per octo menſes continuatus malum fere in eodem ſtatu reliquit.

Aegra tamen ab illo abſtinere non voluit, contenta eo felici effectu, qui primis ſeptimanis contigit, quique malum reddidit adeo mite, ut aegra iterum ſuos labores peragere potuerit.

Tempore nunc verſus ver vergente corripiebatur tuſſi violentiſſima, ita quidem, ut neceſſe fuerit, ei aliquoties venam ſecare, utque debuerit per plures ſeptimanas lecto inhaerere.

Debitis tamen remediis tuſſis iterum ſopita fuit; verum tubercula in utraque mamma coeperunt vehementer dolere, & orta ſunt ulcuſcula acrem humorem plorantia.

Quum durante tuſſi multa aſſumpſit medicamenta, & in iis deglutiendis jam percepit nauſeam, nolui ei amplius exhibere Cicutam; dedi itaque pulverem ex Saccharo & extracto Aconiti, qui gratus eſt, & parva doſi ſufficit.

Bini nunc menſes finiti ſunt, quibus hunc pulverem aſſumit, & omnia ulcera jam obducta ſunt firma cicatrice, dolores ceſſarunt penitus, ſcirrhoſi ac dolentes tumores, qui & poſt longum Cicutae uſum in eodem ſemper ſtatu permanſerunt, jam ultra dimidium decreverunt mole.

Adſunt vires, adeſt appetitus, vigentque omnes actiones, alvus ſolvitur quotidie, nulla autem manifeſta & conſtans evacuatio ſub uſu hujus pulveris in hac aegra obſervatur.

Experimentum IX.

Foemina, 43. annorum, atrociſſimo dolore in brachio, pedeque dextro ita affligebatur, ut diu noctuque ejularit.

Nec ullo remedio opiato potuit ſomnus conciliari.

Adhibui per binas ſeptimanas diverſa medicamenta, aegra tamen vix ullum levamen percepit, vires conciderunt penitus, & corporis habitus multum extenuabatur.

Ten-

Tentavi tunc pulverem de extracto Aconiti, dando mane grana viginti, & totidem veſperi.

Alvus aliquoties inde movebatur.

Dolores facti ſunt mitiores, & ſecunda nocte aegra jam tranquille dormivit per tres horas.

Continuabatur eodem pulvere, exhibendo ter de die grana viginti.

Sexto die eruperunt per totum corpus puſtulae latae, rubrae, prurientes, & tunc fere omnis dolor ceſſavit.

Idem pulvis adhuc dein per triduum aſſumebatur, tandem dabatur aegrae purgans ex unc. vi. Aquae laxativae diſp. Vien. & ex drach. j. Salis polychreſti.

Hoc purgans duodecies operatum eſt cum euphoria, & ab hoc tempore aegra dolorem non ſentit, & poteſt brachium pedemque libere movere, quod ante pulveris uſum erat impoſſibile.

Experimentum X.

Erat in noſtro noſocomio homo, triginta aliquot annorum, qui atrociſſima arthritide jam ultra novem menſes decubuit.

Remedia interna externaque magna doſi & diu exhibita nil prorſus juverunt.

Omnes articuli totius corporis dolentiſſimo tumore erant inflati, aeger nec manum nec pedem potuit movere, noctes erant inſomnes, inquietae.

Quamvis diverſiſſima & alias maxime utilia remedia huic aegro fuerint adhibita, morbus tamen nequaquam mutabatur, imo quaedam ſymptomata videbantur exacerbari.

Nec Cicuta, ultra ſeſqui menſis ſpatium magna doſi diligentiſſime aſſumpta, levamen ullum attulit.

Miſer-

Miſerrimo hoc in ſtatu cum nullum ferme medicamentum, quod ſanitatem promitteret, ſupereſſet, rogavi Dominum Doctorem *Collin*, eruditiſſimum meum collegam, vellet pulverem de Aconiti extracto huic aegro praebere.

Poſt paucos dies obſtupuimus mirum effectum, non tantum dolores omnes mitigabantur, ſed & jam quaedam in membris mobilitas videbatur.

Poſt binas ſeptimanas tumor articulorum jam erat multum diminutus, aderat in manibus eorumque digitis major & indolens flexilitas ac movendi potentia.

Finita tertia ſeptimana aeger fulcris ſuffultus jam potuit pedibus uti.

Quiete abſque omni dolore dormivit, appetiit, vires augenbantur, nec ullam ex pulvere moleſtiam, licet ſaepius rogatus, conquerebatur.

Sub initium ſecundi menſis ſine fulcris ambulavit, manu ſiniſtra pugnum ſat firmum formavit, id autem dextra manu praeſtare non potuit, quoniam adhuc aderat tumor circa carpum.

Finito ſecundo menſe omnia membra ſat libere movit, liber erat ab omni dolore, omnes fere articuli molem ac flexilitatem naturalem habebant.

Senſibilitas tamen in iis partibus, quae antea dolente tumore erant tenſae, major percipiebatur, ac id in ſtatu ſano fieri ſolet.

Finito tertio menſe hicce homo ſanus diſceſſit e noſocomio.

Quanto oblectamento hoc experimentum Doctiſſimo Domino *Collin* mihique fuerit, bonus quivis facile intelliget.

Etenim novem menſium labor aſſiduus & omne adhibitum medicamentum fruſtra fuit in hoc aegro, ſolus

ſolus pulvis de Aconiti extracto miſerum, quem jam pro perdito habuimus, feliciter ſervavit, ſanavit.

Primis duabus ſeptimanis aeger ex hoc pulvere mane ſumpſit grana quindecim, & totidem veſperi.

Tertia ſeptimana ter quotidie dabantur grana quindecim; in principio ſecundi menſis eadem doſis quater fuit exhibita, nec opus fuit eam augere, quum optatus inde effectus obtinebatur.

Sub uſu hujus pulveris ter datum eſt purgans, quod ſemper cum euphoria aliquoties movit alvum.

Experimentum XI.

Foemina, 40. annorum, vehementi membrorum articulorumque omnium dolore laborabat.

Dolor hic in principio vagus erat, dein figebatur in uno alterove articulo, tandem iterum permeavit omnia membra, dein per aliquot dies fere penitus evanuit.

Formabantur ſenſim in manuum & digitorum articulis nodi, ac tophi duriſſimi.

Hac ratione jam per integrum annum bona ac firma ſanitate deſtituebatur.

Tres nunc menſes ſunt, quod dolores fixam in pedibus manibuſque ſedem occuparint, tanta quidem vehementia, ut nec pedibus inſiſtere, nec manus citra ſummum dolorem movere potuerit; contrahere digitos erat impoſſibile.

Etenim praeterquam, quod dolores acutiſſimi id impediverint, aderant ad phalangum articulationes tophi (quaſi verae exoſtoſes) qui mole nucem juglandem majorem ſuperabant, nec prae dolore ferebant adtactum, & ideo noctes erant quoque inſomnes.

Miſera

Miſera hoc in ſtatu ferebatur ad noſtrum noſocomium.

Quum per integrum hoc tempus variis uſa eſſet remediis ſine ullo effectu, conſultum credidit ſolertiſſimus Dominus *Collin*, ut ilico daretur pulvis de Aconiti extracto.

Spatio trium quatuorve dierum ſumma cum laetitia vidimus, ceſſare penitus dolorem in aliquibus partibus, & in reliquis diminui adeo, ut jam noctes eſſent tranquillae, rediretque appetitus, autem omnino deletus.

Secunda ſeptimana jam liberius movit pedes, & manus.

Sub finem primi menſis in manibus fere omnes dolores diſparuerunt, tophi erant minores, ferebant adtactum rudiorem, et jam poterant digiti manuum flecti.

Pulvis nec per alvum, nec per urinam, nec per vias ſudoriferas nobis manifeſtam evacuationem oſtendit, aegra antea moroſa, & debilis, jam jucundior fiebat, ſedit in lecto, & loquebatur aliis.

Finito ſecundo menſe ne minimus aderat dolor in manibus, quidam tophi jam penitus evanuerunt, quidam autem erant adeo parvi, & molles, ut nec tertia voluminis pars amplius ſuperſtes fuerit.

Aegra jam firmos pugnos poterat formare; vires augebantur quotidie.

Tertio nunc menſe continuat pulveris uſum, & tophi fere quotidie minuuntur, & dolores ceſſarunt in omnibus membris, atque articulis.

Finito tertio menſe ſolo hujus pulveris uſu curata valedixit noſocomio.

EXPE-

Experimentum XII.

ANCILLA, viginti aliquot annorum, malo venereo peſſime afficiebatur.

Orti ſunt plures in capite tophi, qui magnitudine ovum gallinaceum ſuperabant.

Glandulae ſubmaxillares, parotideſque in ingentem molem, tactu vere oſſeam, intumuerunt, concreveruntque.

Partes has tumidas ac induratas, & omnes totius corporis articulos & membra tantus tenuit dolor, ut miſera nil comedere, nec quiete jacere, minus adhuc dormire potuerit, deglutitio erat difficillima, & maſticatio impoſſibilis.

Summum denique aderat vitae periculum, dum haec aegra in noſocomium ferebatur.

Caſu rite examinato, & collatis omnibus ſymptomatibus, non audebamus Dominus *Collin* & ego tentare remedia mercurialia, requirebatur celeris in melius mutatio, ne prae nimio dolore, aut ex ſomni, nutrimenti, ac virium defectu aegra extingueretur.

Quum egregios ex pulvere de Aconiti extracto effectus vidimus, & frequentiori experientia eramus convicti, eum ſine noxa poſſe aegris exhiberi, tranſibatur ilico ad ejus uſum.

Secundo & tertio die jam dolores mitiores erant, dein ſequebatur ſomnus, & appetitus, & deglutitio fiebat longe liberior.

Alvus ope hujus pulveris ſolvebatur aliquoties quotidie, & aucta eſt corporis totius tranſpiratio.

Intra menſis ſpatium non tantum tophi omnes diminuti ſunt, ſed & liqueſcebat multum moles duriſſimarum glandularum ſubmaxillarium ac pa-

rotidum; de quo dubitabamus in principio; etenim hi tumores non tantum tactu, verum & ſonitu, dum leviori inſtrumento percutiebantur, oſſeam compagem referebant.

Aberat omnis dolor, augebantur quotidie vires, aegra quiete dormivit, appetiit, & maſticationem ciborum jam abſque omni impedimento exercuit.

Secundo menſe tophus, qui in medio oſſis frontis haerebat, rumpebatur, exiitque multa materies ichoroſa, ſanguine mixta.

De reliquis tophis fere nil amplius erat videndum, nec percipiendum tactu.

Sub initium tertii menſis jam omnis glandularum durities erat ſoluta, aderant vires, functioneſque omnes videbantur ad ſtatum naturalem redigi.

Paucae reliquiae, quae nunc adhuc circa genas obſervantur, quotidie minuuntur, ita quidem, ut haec aegra a ſuis miſeriis brevi integre reſtituetur.

Ulcus, rupto in oſſe frontis topho ortum, quod in principio foedum erat, & habuit labia retorrida, mali moris, applicatis linteis carptis infuſo Cicutae madidis, optima carne replebatur, & bona firmaque cicatrix ubique formatur.

EXPERIMENTUM XIII.

VIR (40. aliquot annorum,) vera anchyloſi circa articulum cubiti ſiniſtri laborans, venit ad noſtrum noſocomium.

Totus articulus, jam a multis menſibus in ingentem tumorem, admodum dolentem, erat elevatus.

Varia externa internaque remedia longo tempore applicata nil mutarunt; imo quaedam ex iis magnos produxerunt dolores.

Tenta-

Tentabatur pulvis de Aconiti extracto, & intra ſeſqui menſis ſpatium diſparuit tumor, evanuit omnis dolor, rediitque articulo debita mobilitas.

Experimentum XIV.

Foemina, 34. annorum, a quatuor menſibus ingentes patiebatur dolores in crure & pede dextro.

Nullus aderat tumor, & cutis color fuit naturalis.

Remedia varii generis interna & externa nil juvabant, & aegra debuit lecto inhaerere, nec ob dolores dormire poterat.

Datus autem pulvis de Aconiti extracto mox ſopivit dolores, attulit ſomnum, & intra tres ſeptimanas aegram perfecte ſanavit.

Ex enarratis experimentis evidenter deducitur: Aconiti extractum eſſe innocuum, & valde efficax medicamentum.

Parva doſi praeſtat id quandoque, quod alia fortiſſima remedia magna doſi & longo tempore exhibita efficere nequeunt.

Acre, quod circa articulos, tendines, & oſſa haeret, irritat nervos, excitatque ſummos dolores, ſolvitur inde & agitur in motum, & per urinam, vel alvi fluxum, vel per ſudorem, vel per inſenſibilem tranſpirationem ex corpore ejicitur.

Tumores ſcirrhoſos, tophos, nodoſque emollit, & quandoque penitus diſſipat.

Atrociſſimos articulorum partiumque induratarum dolores ſopit, tollit.

Ulcera, quae aliis medicamentis non obediunt, quandoque depurat, & firma cicatrice conſolidat.

In aliquibus caſibus Aconitum virtute ſuperat Cicutam, & curat quandoque eos morbos, in quibus Cicuta non convenit, aut nullum virtutem habet.

Interim tamen & quandoque exhibetur Aconitum ſine effectu, & data tunc Cicuta ſaepe morbum levat, curat.

Hinc de Cicuta ſemper verum manet: eſſe eam medicamentum ſumme efficax in morbis curatu difficillimis.

Ab eo tempore, quo ſupplementum de Cicuta in lucem edidi, nova iterum multa atque pulcherrima experimenta a nobis uſu Cicutae ſunt inſtituta.

Diſſipabantur veri ac inveterati dolenteſque ſcirrhi, curata ſunt peſſima ulcera aliis omnibus medicamentis pertinaciter reſiſtentia. Mammae ſcirrhus, pugnum virilem magnitudine aequans, exeſus peſſimo cancroſo ulcere, quod continuo in latum profundumque ſerpſit, uſu Cicutae abiit in gangraenam, & totus ſponte ſeparatus excidit, formabatur inde ingens fovea, quae autem, continuato Cicutae interne & applicato externe fomento ex decoctione Corticis peruviani, mox nova & optima carne repleta fuit, & tandem adeo pulchra cicatrice obducta, ut mamma naturalem penitus molem & figuram iterum habeat.

Integre curati ſunt peſſimi cancri in lingua & faucibus; pertinaciſſimi dolores rheumatici ac arthritici ſola Cicuta ſopiebantur.

Vomitus chronicus, nulli remedio cedens, ſaepius eodem remedio perfecte tollebatur.

Scabies, peſſima faciei lepra (fruſtra jam antea datis plurimis ac fortiſſimis medicamentis) ſola Cicuta curatae ſunt.

Articuli tumidi, dolentes, ac rigidi, fomento Cicutae, & ejus uſu interno, in multis aegris ad naturalem ac ſanum ſtatum redigebantur.

Caſus

Caſus hi praeter alios notatu digniſſimos a Doctiſſimo Domino *Collin* deſcribentur.

Haec & alia experimenta uſu *Cicutae*, *Stramonii*, *Hyoſciami* & *Aconiti* inſtituta intra privatos parietes facta non ſunt, verum inſtituebantur in publico noſocomio, ubi plures peritiſſimi medici ac chirurgi aegros a principio ad finem uſque viderunt.

Maxime autem nobis gratulamur, quod *Illuſtriſſimus Liber Baro van Swieten* (aequiſſimus harum rerum aeſtimator) ſaepius noſtrum noſocomium accedat, aegroſque, qui ad experimenta adhibentur, examinet, morbique atque curationis decurſum accurate obſervet, ita quidem, ut nullum de rei veritate dubium remaneat, cum hac ratione plures curationes propriis oculis vidit.

Infinitas propterea *Ipſi* gratias debemus, quod hunc laborem in ſe ſuſcipere ſit dignatus; *Sua* praeſentia nobis ſemper novus addebatur ſtimulus ad continuanda ac perficienda ulteriora experimenta.

ANI-

ANIMADVERSIONES.

QUI deſcripta haec remedia aegris exhibet, incipiat ſemper a minima doſi, augendo ſenſim.

Si vel minimus malus effectus ex uſu ſimilis remedii contingat, abſtinendum eſt ilico.

Si vero mali nihil ſuperveniat, lenta & prudenti manu augenda eſt doſis, donec optatus obſervetur effectus; dein autem augere amplius doſim non eſt neceſſe, quamdiu idem effectus continuat.

Si quis uſu & experientia novit aliud remedium, quod meis virtute ſimile, vel adhuc efficacius ſecuriuſque eſt, oro, adhibeat potius illud.

Si vero tale quid non ſupereſt, liberum cuivis manet: velle dare unum ex meis, vel illud negligere, & aegrum relinquere fato.

Nemo cogitur, videat tantum quilibet, quid ei ſua conſcientia dictet, quid jubeat amor quem proximo debemus.

Demonſtravi, qua methodo haec remedia poſſint aegris tuto exhiberi.

Patet ex experimentis, in quibuſne morbis haec prodeſſe videantur.

Hoc ſufficit, & ulterior labor plura dabit.

Doctiſſimus *Max. Locher*, phyſicus in magno noſocomio ad *S. Marcum*, haec mea remedia in pluribus aegris jam tentavit, ſiniſtri inde nil unquam vidit, ſed egregios obſervavit effectus; & dum plura experimenta colligerit, ea fideli calamo deſcribet.

Clariſſimus *Lebmacher* vidit in febre intermittente, & in gonorrhaea inveteratiſſima, profuiſſe meum

meum pulverem ex Saccharo & Aconiti extracto, ubi jam a longo tempore omnia alia remedia incaſſum erant adhibita.

Georgius Haſenöhrl, ſolertiſſimus in noſocomio Hiſpanico phyſicus, ſuis maniacis praebuit extractum Stramonii; ad drachmam dimidiam & ad drachmam integram ſpatio viginti quatuor horarum, nulli nocuit, magnas in melius mutationes obſervavit.

An eae autem conſtantes ſint futurae, tempus docebit.

Paravi interim campum, in quo nobis arandum laborandumque eſt, ut, morbo decumbentium, calamitates, & cruciatus minuantur, leventur, curentur.

Perhumaniter igitur omnes bonos medicos oro, velint ii unita opera meos conatus adjuvare, velint promovere opus, quod afflicto & aegrotanti homini adeo ſalutare futurum videtur.

Et licet praeſens ſaeculum fors ſuperciliofo oculo noſtros intueatur labores, id nequaquam nos deterreat; erunt poſteri, qui aequiori animo judicabunt, & meritas nobis agent gratias.